HERO
SERAPH
ANCTA
VITERBI
Familiari trigin
stylo illus
A R. P
NTONIO
A MEDIO
Ordinis Minoru
Obserua
Adm, Illustri, &
D O M
IO.BAP
COLN
Sacræ Theologiæ Doct
Apostolico, & Ca
Insignis Basilica
S. Io. Baptistæ
MEDIO
Apud Fridericum Agnel
Superiorum
ed by Goog

HEROINA SERAPHICA SANCTA ROSA VITERBIENSIS.

Familiari triginta capitum stylo illustrata.

A R. PATRE

ANTONIO COHEREZ
A MEDIOLANO
Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ.

Adm. Illustri, & Adm. Reuerendo
DOMINO


D·IO·BAPTISTAE COLNAGO

Sacræ Theologiæ Doctori, Prothonotario Apostolico, & Canonico Theologo Insignis Basilicæ Collegiatæ S. Io. Baptistæ Modoetiæ.

MEDIOLANI,

Apud Fridericum Agnellum Sculpt., & Impr
Superiorum permissu.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI



Rosa hæc sacra,
Quæ ex se gratissima apparet in vere,
Ex sterili Auctoris ingenio
Prius prodijt in hyeme,
Talento magis frigescente, quam tempestate.
Seris concepta studijs,
Quatuor iam fragrans sæculis,
Apud te non bene olebit,
Nulla culta elegantia:
Sed meminisse iuuat,
Seniles partus non esse iuuenilis intellectus.
Rosam hanc tuæ deuotioni offero,
Sed non sine spinis:
Plus enim te pungent defectus compositionis,
Quam ipsam fortasse
Vexauerint punctiones cilicij.
Teste fama illustris est Heroina:
Tuæ tamen mentis perfectioni,
Quæ singulari sunt clara merito,
Obscuro vilescent stylo:
Sed neque lux sine vmbra,

Et cum quacumque iungitur nox die:
In eius adhuc tenera ætate
Omnia matura deprehendes,
Consenuit enim virtutibus, non annis:
Nec quidquam acerbi tuo accidet palato,
Nisi quod meo est adscribendum calamo.
Seriam eius prodigiorum seriem,
Quam stupente Natura,
Ad ardores excitandos
Eloqui potuere gelidæ mortes,
Breuis non complectitur epilogus,
Nec longa satis distingueret oratio:
Sed quæ restrinxit imbecillitas mentis,
Iam ampliauit
Singularitas admirationis.
In hoc opusculo plura habes capita,
In quibus de ea mira leges:
Sed melius censeretur,
Si pauca essent orationis membra,
Et tali eruditionis robore stare possent,
Quod non claudicarent.
Sine coloribus subtilitatis
Palescet sæpè sub oculis tuis hæc Rosa:
Vel dicerem, quod coram te
Ipsæmet paginæ erubescerent mendis,
Nisi scirem esse nigriorem stylum
Eisdem caracteribus.
Non mireris tamen!
Quia licuit ex mea obscuritate

Hanc

Hanc illuſtrem exire Roſam:
Sicut non dedecet ex tenebris
Puriſſimum erumpere Solem.
Hoc munuſculum
Meæ conſentaneum capacitati,
Et tuæ inæquale expectationi,
Ideò ſpernere non potes, quia non debes:
Eſt enim vna ex maioribus ſanctitatibus,
Quas tempora dederint æternitati.
Sanctæ vitam tibi mors ſola deſcribet,
Et multa ſtupens, vnum credes,
Multorum Heroum,
Memoriam excitare; ſed famam extinguere:
Si quid autem in hoc tenui opere improbandum:
Erit manus Artificis,
Non materia, quæ eſt ſanctitatis.
Ab Imperito
Prodigia eloquentiæ ne quæras?
Ordine ambulamus,
Et diſpoſitione naturæ:
Nequeunt omnia maria parere margaritas,
Sic neque omnes intellectus
Florere poſſunt elegantijs.
Vix ſimillima in diuerſis:
Homines eadem induti natura,
Varia differunt qualitate,

Specie pares, & præstantia dissimiles:
Et perfectiores magis clarescunt oppositis,
Quemadmodum eminent alta humilibus:
Ita pariter tuæ scientiæ altitudo,
Etiam ex mea
Consurget imperfectionis distantia:
Sed breui: si fuissem ab ortu ditatus,
vel ab arte
Eminentibus inferiori dotibus, gloriæ
paribus,
Quarum luce in adhuc adolescente
ætate
Grandæua virtute Ausoniæ clauit,
& Iberiæ
Illustrissimus Balthassar de Rosales,
Scripsissem Calamo Phænicis.
Hic partus omni nudus arte, non defectu,
Pauperrimo genitore est satus;
Et ambo miseratione tua egent:
Quinimo ad tuorum ordines librorum,
Quia caret patrimonio perfectionis,
Admittendus est titulo paupertatis.
Laudes denique tuas,
Non prætereo, sed vix tango:
Quia si vitium est virtutem negligere,
Virtus est parcè laudare:
In te igitur vnum recolo,
Licet commendare deberem plura.
Quod nec eripi potest, nec dari; laudo:
Orna-

Ornatissimum animum:
In reliquis
Præstantius est te esse laudabilem.
Laus olim erat singularis,
Ore lapidum, aut æris locuta:
Nunc communi casu pluralis est numeri,
Cunctis data, sed non omnibus debita:
Vtique hominum multi
Perpetuis digni sunt marmoribus,
Ne labēte tēpore virtus ex memoria fluat:
At eorum plurimi merentur lapides,
Quibus saltem grauitatem sentiant,
Quam non habent.
Degeneres sunt communitatis laudes:
Et tibi aptius est,
Aut omni carere, aut legitima frui:
Et si quis, quænam foret, quærat,
Alieno non indiges lucere calamo,
Qui alios vales illustrare tuo.

Dominationis Tuæ Adm. Ill.,
& Adm. Reu.

Addictissimus Seruus
Frater Antonius Coherez
à Mediolano.

Ex Conuentu S. Angeli Mediolani
die 6. Iunij 1681.

HEROINA SERAPHICA

Sancta Rosa Viterbiensis.

Omine fausto S. Rosa prodit in lucem.

CAP. I.

Germinat Viterbij de sterili Rosa,
Parentibus spe mortua prolis,
Ac rore irrigata gratiæ
Lætum florescit auspicium Vrbis;
Totius mox factura miraculum
Orbis.
Ioanni, & Catharinę genitoribus nata,
Mirifico Ortu
Vrbibus, & Vicis fit nota:
Et bene tenera mollibus inuoluitur
pannis,
Populos duris liberatura pænis:
Immò arcta intèr fascias
Tempestiua assuescit angustijs,
Quæ omnium virtutum capax
Publicam meditans libertatem.
Secretis postea se vinciet cilicijs
Diuina fata manu

Mortalitatem induit
Anno Millesimo Ducentesimo,
Quadragesimo,
Habenas Imperij
Federico regente Secundo,
Qui reiectis legibus Ecclesiæ
Licentiam iam fecerat ferro,& hæresi,
In perniciem auolans Italiæ;
Et super Catholicum gregem
Gregorio vigilante Nono.
Inter incomoda Martis
Enixa hæc Virgo pacis,
Sacro abluitur fonte,
Feruida implenda charitate.
Sera parẽtibus,sed opportuna populis,
Vitam incohat à fletu,
Consueto forsan non vsu naturæ,
Sed flebili præsentis casu calamitatis.
Sæpè tamen inter eius labia ridere
solet gratia:
Immò omnium iam habet affectus,
Licet nullius adhuc siccauerit
lachrymas.
Vnica dispositione nascitur omnium
spes,
Cuius vita erit hæresum mors:
Et simul cum ea
Exoriente sanctitatis omine,
In ancipiti bello,

In quo tuta solum sunt scelera,
Vnde hostili, ac truci ira
Etiam sacra profanatur ara:
Sperant vrbes compescere fletus,
Nec desinunt Deo reddere grates.
Animam puella magnam
Paruulo claudens in corpore,
Vix Ostium vniuersi ingressa,
Vires hostium fractura;
Etiam tenero vagitu,
Quo respirant fideles,
Religionis minatur inimicis:
Et prodigij partus, & admirationis
Incipit terrere voce,
Quos non tardabit atterere Dei verbo:
Et si ad sedandas fit concepta
molestias,
Ipsa monstrabit adulta prodigijs.
Samsoni natiuitate æqualis,
Sed impuro munditia dissimilis:
Ille vitam perdidit amoribus,
Hæc animas acquiret virtutibus.
Initia singularia claros indicant exitus:
Hinc si ortus dies ærumnarum nocte
Obscuro euentu fuit deflenda Iobo,
Illustri successu extat memoranda
Rosæ.

Aues, & Columbæ fiunt familiares Sanctæ Rosæ.

CAP. II.

Ex quo virus inobedientiæ
Primum infecit virum,
Malo gignente omne malum,
Decidit in Paradiso innocentia,
Et cætera amicitiam hominis fregit
creatura.
Reflorescit tamen integritas in Rosa,
Vt testatur in auibus beneuolentia,
Dum cum puellæ simplicitate,
Suæ non vsu naturæ,
Domestica ludit syluestris,
Cubans secura in eius sinu,
Ac si iaceret paritura in nido.
Sicut si inter metus sint conceptę aues,
Etiam inter motus verentur frondes,
Tot subiectæ periculis, quot obsessæ
fraudibus,
Quia vix ortis minantur insidiæ artis:
Cum ipsa tamen eodē vescuntur pane,
Quæ assuetæ periculis
Ab opposito abstinerent cibo:
Et allectæ à synceritate mentis
Detecta à benignitate vultus,

Suam pollicentur fidem,
Dum eiusdem edunt escam:
Sic societatem seruant cum infantula;
Quę pacē non sustinuere cum Adamo.
Nec solū tuta semper pauida volucris
Cum ea ludit, quia non lædit:
Sed & simplices ipsam sequentes
columbæ,
Quæ ipsas sequitur simplicitate,
Inter eius quiescunt manus:
Et in dispari specie simillima qualitas,
Nam illæ sine felle, & Rosa absq; dolo.
Huius auis vna præstantior alijs
Est proprietas:
Mundissima nil tangit immundum,
Tam amica candoris,
Quam inimica turpitudinis:
Vnde si familiaris Rosæ,
Quia diligit à natura munditiem,
Iam arguit in puella puritatem.


Sororem matris ex hac vita migratam resuscitat.

C A P. I I I.

Enixa in lucem Rosa
Tertia iam abierat hyems,
Et remota ab vberibus,
Quia

Quia alenda virtutibus,
Ita morum est induta senio,
Vt carere videatur infantia.
Vix sub disciplina genitorum discipula,
Et iam perfectionum magistra
Culturam omnem præuenit ætatis,
Et talem sanctitatem exhibet in vere,
Qualem alia probitas promisisset
in autumno.
Suæ genitricis sorori
Vltima aduenerat dies,
Et prima parentum officia
Effundere lacrymas, & absorbere
dolores:
Postmodum pietas non submersa fletu,
Vt anima suffragiorum respiret flatu,
Exanimem iacentem in feretro
Sacrato destinat tumulo.
Hic mors dierum antiqua
Erubescit adstante puella;
Quæ vniformi exitu,
Si dispari principio,
Extinctam tristi eripit fato;
Ac Christus Lazarum euocauit
è sepulcro.
Inter Scripturæ oracula personuit,
Mulierem fortem quis inueniet?
Ecce trium annorum infantula
Magnarum virtutum origo.

Adhuc tenera ætate,
Sed non acerba merito,
Datura spiritum,
Loculo applicat manum,
Attollensq; vocem erectura lapsam,
Quasi excitaret somnolentam,
Illicò suscitat defunctam:
Suam in hoc prodens fortitudinem,
Quod potest,
Et fluxam reuocare vitam,
Et flexam sternere mortem.
Communis cum mortua
Surgit in habitatione lætitia,
Singulari puellam comitante plausu,
Ac eadē pluribus viuit annis in domo,
Quæ paucas post horas erat condenda
sub humo.
Magnitudinem portenti
Velox gentibus fama
Patrijs defert, & exteris:
Vnde facti admiratio præsentis
Sanctitatis gignit conceptum futuræ,
Quia nondum idonea laboribus,
Iam visa est matura prodigijs.



A Sanctitate puella, & à prodigio defuncta animati Viterbienses expellunt ab Vrbe Imperiales.

C A P. I I I I.

Si manus diuina ferit miracula,
Mens humana colligit præsagia:
Sub ferreo seruitutis iugo
Ferino sæuiente
Federico Secundo Imperatore
Flectit Viterbium ceruicem.
Ira septum, & ferro,
Ara quasi orbatum, & auro,
Diffuso hæresis veneno
Catholica tabescit Religio:
Et concessis superstitioni gymnasijs,
Quia subtractis Ecclesiæ sacrificijs,
Error, & horror
Mæstissimam occupant vrbem:
Quæ humani auxilij spe defossa,
Et tyrannicæ feritatis pondere defessa
Maximis cingitur angustijs,
Antiquis decorata priuilegijs.
Claudit in domibus mancipia,
Quæ populorum fuit domina,
Et hostium præuidet principijs,
Virium non prouisura remedijs.

Inter

Inter ſcyllam ſe inuenturam,
& charybdim,
Aut reijcere infidelitate legem,
Aut perdere conſtantia vitam.
Conſternata æquitate
Immanitas præſidet in foro,
Vigorem legibus illatura ferro:
Vnde dolorem duo augent vnum,
In Imperialibus mortua pietas,
In Viterbienſibus moritura fides.
Occumbit Religionis decus,
Dilatata hæreſis nocte,
Et ſecta auctoritate eccleſiæ ſectis,
Sed paribus iunctis vario errori vitijs.
Templa Dei domus barbara ſpoliata
manu:
Diuerſæ diuerſoria gentis,
Vbi ſola diuerſatur execratio,
Et eccleſiarum ſine nomine, quia ſine
numine:
Altaria ſabæo non redolentia thure,
Polita ſacris, ac polluta crapulis.
Has inter oppreſſionum procellas
Viterbienſis diſcutitur patientia,
Sed concepta non mergitur fiducia:
Nam reuiuiſcente fæmina ſepellienda
Surrexerat ſpes ſepulta.
Velut torrens aggere rupto
Populus integra fide

Elenā

Eleuato crucis vexillo,
Vt cadat hostium audacia,
Armis munitus, & zelo
In hæreticorum irruit turmas;
Quæ subito ceu turbine quassæ,
Vt ciuium declinent iram,
Pecudum more rapiunt fugam.
Præses Imperialis
Armorum turbatus strepitu,
Magis tamen furentium exterritus
periculo,
In vrbis se celat arce,
Vt manifestæ se eripiat iræ.
Ast furor, qui expulit ab vrbe militem,
Vrget ad arma Imperatorem:
Conflato exercitu
Aduolat Federicus II. Viterbio,
Immani accensus odio,
Vt ciuium audaciam extinguat
sanguine.
Sed vrbs, quæ Deum habet defensorē,
Iam didicerat non pauere inimicum:
Hinc armis impetita,
Nec Marte, nec morte perterrita,
Initium, quod alijs fuisset timoris,
Ad exitum traducit lætitiæ;
Et vbi hostis
Designauerat furore ruinam,
Ibi ciuis
Sorti-

Sortitur victoria triumphum.
Adstrictus Imperator ad fœdera,
Qui venerat illaturus excidia,
Comitem Simonem Præsidem
Conditionibus accipit,
Et perdita in certamine gloria,
Imperiale decus obscurat.
Sanctitas puellæ,
Et prodigium fœminæ
A somno mortis excitatæ
Semiuiuis Viterbiensibus
Pepererat principium confidentiæ,
Hinc exercituum Deo
Sacrant conclusionem victoriæ.

Panis à S. Rosa delatus ad pauperes conuertitur in Rosas.

CAP. V.

Rosam esse florem virtutis
Suauitas manifestat sanctitatis.
Ex infæcundo stipite
Vernans abundantia gratiæ,
Incrementa naturæ
In progressum transfert animæ,
Et in tenera pueritia
Prouectam prodens maturitatem,
Quando moribus incipit

Ad communem efflorescere
admirationem,
Tunc operibus potest
Perfectam redolere sanctitatem.
Sacris dicata altaribus,
Quæ vix est ablata ab vberibus,
Vt indolem perficiat animi,
Teneritatem vexat corporis,
Ac quasi soluta sensibus,
Quia stricta cilitijs,
Ita orationi vacat,
Quasi mundum non cognoscat,
Nisi pauperes habeat.
Tam in pedibus nuda,
Quàm à passionibus libera;
Per tramitem i cedit charitatis,
Quæ bene omnem viam nouit virtutis:
Hinc quacumque potest esca
Pauperes alit,
Cum eorundem crucietur fame:
Ægrè fert paupertas, non indoles
patris
Liberalem miserationem filiæ:
ne domui liberalitate sit damni,
Cui ita misericors in pauperes est
beneficij;
Iubetur, vt abstineat ab eroganda
eleemosina,
Quos in posterũ reficit sua absti nentia:
Quia.

Quia iussis obtemperans genitoris,
Nec ommittens exercitia charitatis,
Quod sustentationi porrigit alienæ,
Subtrahit propriæ:
Et sæpè pallent eius ora ieiunio,
Ne esurientes pereant egestate.
Semel ad pietatem
Pauperum excitata clamoribus,
Cum semper ad misericordiam
Totis esset commota visceribus,
Pane suæ necessitati distributo
Eorum accurrit indigentiæ.
Sistitur à patre, quæ mouetur à Deo,
Et importunitate innocētię opportuna
Iubetur detegere, quod cinctulo tegit:
Sed filialis reuerentia,
Quæ præcepto paret, impercepta
parit.
Non cunctatur, quæ fert aperire
cuncta,
Et fallitur genitor non decipiente filia,
Obtutui enim terreno obijciuntur
cælestia:
Vnde correpturus ira,
Corripitur miraculo,
Et pallet aspectu, iam incensus animo,
Rubentes verso in rosas pane,
Ac immobili stante super mutatione
sensu.
Hæret

Hæret ſtupori,
Qui agebatur ab indignatione:
Nec poteſt cadente non madere fletu;
Dum optat fixo mederi dolori.
Vt concipiat probitatem filiæ,
Cum neſciat ſe eſſe genitorem ſanctæ;
Diuina diſponit prouidentia,
Quod notitiam colligat ex charitate;
Dum per eam floret Roſa prodigio.

Eripitur gallina matri Sanctæ Roſæ; ſed reſtituitur miro ſucceſſu.


CAP. VI.

Vbi virtus elucet claritate ſanctitatis;
Ibi celari non poſſunt errores malitiæ.
Matri Sanctæ Roſæ
Clam eripitur gallina, palamque fit rumor,
Et quaſi maior perierit ſubſtantia;
Tota domus impletur mæſtitia:
Hinc triſtis dolet Catharina,
Eiuſque dolore adeò triſtatur Roſa,
Quod mæror matris eſt triſtitia filiæ.
Inquieta Catharina,
Quia gallinam non reperit,
Ideò quietem amiſit:
Nec magno iactura eſt ſine fletu,

Quæ leuissima potius est digna risu:
Sed vere nescitur,
Quare sine ea non possit viuere,
Nisi quia ab eadem soleret refici.
Maxima turbatio in minimo euentu:
Cassus tamen non est remedio casus;
Sed mulier est,
Quæ etiam vt minutam inueniat
dragmam,
Totam euertit domum.
Matrem solari solius est Rosæ munus;
Et in ancipiti re certo, quia superno
lumine,
Ipsi detegitur, quæ rapuit manus:
Mulier est,
Quæ morsibus conscientiæ ruptis
Viuit raptis:
Vsu tam attenta furtis,
Vt proprij obliuiscatur decoris:
Oculata ne videatur,
Sed cæca, quia nec se ipsam videt:
Ideò inde misera, vnde prospera.
Hanc humilis Rosa enixè rogat,
Quæ retentione gallinæ
Nimiam Catharinæ molestiã irrogat:
Et ne det occasionem pudoris,
Exhibet velamen charitatis.
Sed quæ fragilis sexu fit durior saxo,
Non nutat responso, licet lapsa furto:

Etiam mendacijs rea se sustinet
insontem,
Quinimmò verbosæ si attendantur
verba,
Aliena à veritate ita abstinet ab alieno,
Quod minimam talis rei odit labem.
Quam tamen artē si non profiteretur,
Certe non sordesceret.
Reprehenditur Rosa à reprehensibili,
Et quæ accessit humilitate, reijcitur
superbia:
Monita mala mulier pijs affectibus,
Impia respondet odijs,
Et quæ improba est digna probris,
Contra eam indigna vomens,
Ipsam onerat conuicijs.
Imprudens fœmina!
Non vult agnosci rea,
Et modum excludit,
Quo potest tegi culpa!
Non sustinet à puella celari,
Ideò debet ab omnibus irrideri:
Quod negat lingua, manifestat facies,
Nam illicò ex dextera parte vultus
Ereptæ gallinæ prodeunt pennæ,
Quæ in eius aspectu, & omnium
conspectu,
Quia inuerecundo
Furtum describunt verecundia:

Sic non indiget larua,
Vt sit obiectum risus,
Quæ quia mendax iudicio caruit,
Nunc non mentitur, quod sit fabula gentis.
Indice gena fæda est anima,
Et ne deformitas lateat,
Superna vindice iustitia
Ex vultu turpitudo mentis prodijt.
Fatua mulier!
Monstri gerit speciem,
Dum fæminæ non habet formam:
Et quando se deformem videt,
Tunc se contumacem agnoscit.
Propinqua autem
Admirationi oritur contritio:
Lauat fletu, quod fædauit culpa:
Et Beata intercedente Rosa,
Dum abolet è corde perfidiam,
Euanescit ex eius vultu ludibrium:
Ita intelligit,
Delicta non seruari occulta,
Vbi sanctitatis lux est manifesta.



S. Rosa collectis terrei vasis fragmentis integrum reddit.

CAP. VII.

Sexui fæmineo
Affinis nascitur malitia:
Quæ à malo erupit in mundum,
Dũ à recto deflexit prima innocentia.
Viterbij
Ad fontem Sanctæ Mariæ in Podio
Cum Beata Rosa,
Quæ lustro duos vix addiderat annos,
Nonnullæ se conferunt filiæ,
Non sic sollicitæ, vt hauriant aquam,
Sicut garrulæ, vt perdant tempus.
Suo impleto Rosa vase
Vanitate vacua recedit,
Cum præter ætatem
Nihil pueritiæ habeat,
Et qua modestia adijt plateam,
Eadem redit domum.
Cæterę circa fontem trahentes moram
Pueriles nectunt ludos,
Et vt extinguant anxietatem leuitatis,
Ex aqueo elemento
Se accendunt ad nugas:
Hoc solum verè

Spe-

Spectantes in mobilitate fontis,
Nempè instabilitatem sexus.
Citius tamen labit vnda tempus.
Et si horæ iam fugiant,
Adhuc tamen in fonte se quęrunt.
Matribus non obtemperantes,
In vndæ claritate
Non vident iacturam temporis:
Ideò magis deceptæ
Dum in illo mobili crystallo
Suas non agnoscunt maculas,
Quā dum suas introspiciunt imagines.
Sed pueritia solum puerilia promit:
Cæteris vna leuior
Vas terreum, dum ludit, frangit,
Et ex dispersa aqua
Ruboris flamma conspersa facie
Lachrymas effundit,
Iam non habens quo aquam hauriat.
Ad calliditatem confugit,
Vt indignationem matris effugiat:
Hinc describens ei pro malitia,
Quod euenit ex sua leuitate,
Vt se excuset, Rosam accusat.
Hæc astutia
Terrestri exijt è paradiso,
Nam & Adam, vt se liberaret à pæna
Mulierem sociam onerauit culpa,
Et Eua quasi posset fallere Deum

Pro suæ causa transgressionis
Allegauit malitiam serpentis:
At homo decipitur, non Deus:
Et qui malitiam exilio
Primis multauit in genitoribus,
Eandem sine pæna non reliquit
in posteris.
Hæc mulier filiæ mendaci credit,
Quia ipsa vt obtineat fidem verbis,
Fæmineo more vtitur lachrymis.
Inhærens accusationi, secedit
à prudentia,
Et ab indignatione pressa,
Quasi contemptu depressa,
Furens matrem adorta Sanctæ
Filiam culpat, & matrem lædit,
Euomens furorem ab ore,
Quem concepit ab ira.
Stupet super accusatione Catharina
Nescia veritatis casus,
Sed suæ filiæ bene conscia indolis:
Tristatur tamen, quia à muliere tristi
Grauiter mordetur leui casu,
Pluribus proba icta probris,
Sed nullis nihilominus acta odijs:
Et conuicia dissimulat silentio,
Ne verbosæ iracundia augeatur
responso:
Interea illa innocentia,

Quæ extinctos excitauit sensus,
Etiam motas componit mentes.
Collectis Rosa fragmentis
Integrum vas defert mulieri,
Quæ non minus erubescens prodigio,
Quam pallescat errore
Incipit venerari integritate Rosam,
Et nō desinit increpare malitia filiam.

Solitaria virtutibus, & asperitati se dicat, atque pro calamitatibus Viterbij erat.

CAPVT II.

A Præcursore Ioanne
Discit Rosa fugere multitudinem,
Vt colat solitudine innocentiam.
In paternæ domus tugurio clausa
Cor suum aperit gratiæ,
Et incipit ex contemptu mundi
Perficere nobilitatem animæ,
Sciens ex dilectione Dei
Proficere incrementa naturæ.
Extructura altitudinem perfectionis
In fundamento se occupat humilitatis:
Et in aliarum exercitio virtutum
Ne remissius operetur
Ipsas noctes illustrat vigilijs,

Corpusque suum excitat flagellis.
Passionum vepres,
Quibus sordescit pudicitia,
Quia in animo euellendos non
agnoscit,
Abstinentia ne oriantur obstat:
Et ieiunia, quæ inchoat puella,
Non omittit etiam adulta:
Sed sanè
Communi non est alenda cibo,
Quæ nectar paradisi
Opimè haurit ex oratione,
Intenta meditationi,
Quasi videatur oblita sui,
Ad Dominicæ fontem passionis,
Si non inuenit sordes, quas lauet,
Habet tamen ardores, quos extinguat.
A Crucifixo refert semper sitire pœnas,
Et à natura mirum est
Tot perpeti austeritates:
Sed delectatur angustijs,
A quibus noscit
Suos in cruce dilatari affectus.
Asperis cingitur cilitijs,
Ne auelli possit à Christi vulneribus,
Ac sæpè in ijs se perdit tristitia,
Vt perditos perquirat peccato.
Viterbij status
Est Rosæ continuus dolor:

Quia grassante peste per vrbem
Cadunt medentes cum ægris,
Moritur filius super extincto patre,
Gemit maritus moritura coniuge,
Iacent, ac fætent in domibus
Cum iuuenibus senes, cum filijsque
patres:
Et paruulus ad vbera matris
Non sugit alimentum vitæ,
Sed haurit venenum mortis:
Vnde dum ipse efflat animam,
Interficit citius dolore matrem.
Quos sanguis iunxit
Læthiferæ timor pestis separat:
Vnde sicut plures hostes in eadem
domo,
Mox tota domus sub vno lapide.
Auxilio egente sorore profugit frater,
Et sine mutuo charitatis officio,
Non dispari tamen calamitatis
accidente,
Perit sine fratre soror, & obit sine
sorore frater.
Æquali casu intereunt sine ope
Diues opum, & pauper:
Et seruus, qui recedit à cadente
domino,
Ab eodem non multum abest fato.
Admota ad opus artifex manu

Vix incipit agere, cum desinit viuere:
Et obuia hominibus publicis in vijs
Parca
Eos deijcit in terram, vt atterat
in puluerem:
Vnde incedentes miserrimi cadunt,
Qui tantummodo eunt,
Vt alienam miserationem inueniant.
Etiam truculenta fames
Multas absumit domus:
Hinc luctuosissima Viterbij facies
Gemino calamitatum genere
deformata
Obscurior euadit
Probis perditis moribus, quam
ciuibus.
Incola vrbis solitudine
(Nam in tam turbida malorum
tempestate
Paucorum fuit salus)
Prætorium est sine lege,
Quia Viterbium sine capite:
Absque genitore filius,
Absque filio genitor:
Cum gemitu filia, & luctu,
Quia matre orba, & sponso:
Sacro ecclesia orbata ritu,
Et Imperialium regressu
Vrbs quasi priuata Deo.
His

His Rosa suffocata spinis,
Nam patrijs angitur calamitatibus.
Ab oratione accensa charitate,
Vt Deum flectat ad opes,
Cor eliquat in lachrymas.

Infirmata præsentia B. Virginis sanatur, & Tertio Ordini Seraphici Patris Sancti Francisci adscribitur.

C A P. I X.

Non est ænea caro,
De puluere in puluerem transitura:
Ideo nimio vexata rigore
Facile est constrata fragilitate.
Rosa asperitatum pondere oppressa
Corruit in lectum,
Et genitorum lætitia digreditur ad luctum:
Miror tamen,
Quod tanto flagellis fuso cruore
Pænarum non expleuerit sitim:
Sed qui venit ignem mittere in terram,
Eius ita accendit animum,
Vt ardorem solis temperet cruciatibus,
Quæ anxietatem patiendi
A Christi hausit vulneribus.
Grauata morbo, sed non infirma Deo

Languore corporis
Roborat fortitudinem animi,
Redigens in augmentum gratiæ,
Quod est in incommodum naturæ.
Signa duodena peregit Phæbus,
Sed adhuc grauis eam detinet febris,
Immò nonum vix agit ætatis annum,
Etiam ad vltimam vitæ vrgetur horã:
Quia ingrauescente morbo
Expectatur, vt efflet animam.
Tolerantia infirmitatis
Fit illi occasio benefitij:
Nam gloriosæ Virginis præsentia
Meretur instaurari,
Quæ videtur solum deficere,
Quia voluerit calice passionis
inebriari.
Lunga diuexata malorum hyeme,
In qua tamen
Diuini amoris æstuat solstitio,
Ad pellendas mæstitiæ tenebras
Serenitatem salutis
Obtinet ex tantæ lucis aspectu:
Atque admonita, vt Seraphicæ
Religionis
Tertio adscribatur Ordini,
Tunicam ab ea sub ceruicali repositam
Manu textam angelica
Ante eiusdem Virginis aram
Induit.

Induit crine tonso,
Nulla exuenda vanitate,
Et funem mauult iumenti
Deficiente cingulo,
Licet satis sit cincta cilitio.
Tria emittit vota
Duo ingrediens lustra;
Et vt excrescat virtutibus
Concepta gratia
Paritura stuporem saeculis;
Quae iam erat Christi sponsa,
Euadit Francisci discipula.

Satan ad impediendam Rosa charitatem prauum suscitat in eiusdem patre conceptum.

CAP. X.

Agro Rosa defixa Seraphico
Suauitatem olet perfectionis,
Quae nimium Satanae offendit nares.
Ex pauperum faetore,
Quos benignè alit,
Hic odor sanctitatis exit:
Sed incola tartari
Graueolentiae assuetus turpitudinis
Suauitatem ferre non potest charitatis.
Vt hanc virtutem dolo corrumpat,

Quæ suauius semper perfectionem
redolet,
Egenorum frequentia,
Qui ab vrbis pulsi penuria
Ad Rosæ domum confluunt,
Oppositum suæ honestati
In animo patris excitat odorem,
Malignæ suasionis igne
Genitoris mens exardet ira:
Et vere pauet, ne lapsu filiæ
Corruat honor domus,
Oblitus, quod per ipsam steterat
Integritas lapsura vrbis.
Patris furori obijcitur mãsuetudo filiæ:
Ille, falso hæsit, sed hæc verè non
hæsitat,
Ac bene percipit, quod male præcipit,
Quia id in ea redarguit,
Circa, quod ipse solus errat.
Absolutè non vult pauperes domi:
Ergo recusat beneuolentiam Christi.
Probatio conclusionis
Pendet ex eo, qui est oraculum
veritatis:
In inope, qui suscipitur,
Ipse se fatetur susceptum:
Igitur presso Christo, si truso paupere.
Sed hic homo est venia dignus,
Indigna deceptus caligans ira:
Ideò

Ideò obscuritas suggestionis
Detegitur à filia lumine virtutis.
Vellit ex mente, quod hostis vallat
arte,
Vnde proditoris malitiam prodit:
Sic illuso Satanâ illæsa Rosa,
Ampliuspater nō labat sua agnita labe,
Et quia lapsus vero dolore corrigit,
Quod falsa apprehensio patrauit.
Rigat ora lachrymis,
Et exindè pauperes diligit,
Quos dedecoris motus metu
Propemodum oderat.
Optimum habuit ex charitatè
argumentum,
Quo pessimam reijceret opinionem:
Vnde postea didicit nihil prohibere
filiæ,
Per quam Deus suæ fauebat domui.

Fernens in meditatione passionis meretur videre Christum Crucifixum.

C A P. X I.

Nullibi Rosa inuenitur,
Nisi aut ardens charitate cũ paupere,
Aut madida fletu cum crucifixo.
Ex passionis amaritudinibus
Dulce-

Dulcedinem ſugens delitiarum
Abeſſe non poteſt ab arbore crucis,
Vbi ad ſaturitatem animæ
Incorruptibili fruitur vitæ fructu.
Suo coniuncta capiti,
Quia ſanctæ nupta cruci
Optimam partem eligit,
Etiam quando
Inter dilecti ſui ſpinas
Dolore confuſa ſe perdit:
Quot icta clauis,
Tot amoris ſauciata telis,
Sæpe quaſi exanimis,
Sed nunquam minus feruens.
In hoc gloriari poteſt,
Quod cadens
Apertis brachijs excipitur à Chriſto;
Qui moriens,
Querebatur vt derelictus à patre.
Mirum non eſt,
Quod ita crucem diligat,
Quia Franciſci alumna
Sola paſſionis veſtigia
Singulari ſtudio calcanda delegerat:
Sed fatigata in meditationum curſu
In refrigerium ardoris
Fluenta habet Dominici pectoris.
Qua hora non putat
Filius hominis ad eam venit,
Et

Et qualis ipse
Passus est in amplitudine caluariæ,
Talis ab ea
Conspicitur in angustia tugurij:
Et sanè erat hæc virgo sapiens,
Quam dominus iuxta suam crucem
Vigilantem inuenit.
Ad tantæ miserationis aspectum
Corruit corpore,
Quia iam defecerat animo,
Sed posito metu, non exuta dolore,
Cordis lingua loquens, magis quã ore,
Ostendit Christo, si amat tormenta,
Quibus voluit pro nobis crucifigi,
Et quam odisse non desinat peccata,
Quibus non profuit multis redimi.
Ex oculis eius
Euanescit hæc scena dolorum,
Sed in corde remanet acerbitas
passionis,
Ex qua solum emanat suæ dulcedo
animæ:
Vnde vt viuat cum Crucifixo
Videtur sæpè mori,
Semper credens se pauca agere,
Quando non potest multa pati.

Iesum

Iesum prædicat crucifixum, & in alia apparitione eundem videt gloriosum.

CAP. XII.

Discipula in gymnasio passionis
Audita Crucifixi doctrina
Fit magistra veritatis.
Curatura domos exit in plateas,
Secum deferens medicinas salutis,
Quas parauit in officina charitatis:
Nec ei difficile est,
Varijs mederi vitiorum ęgritudinibus,
Quæ ex arbore crucis
Omnia collegit remedia sanitatis.
Iesum prædicat crucifixum,
Qui poterat homini non moriendo
succurrere,
Et tamen voluit moriendo subuenire:
Qui ideo ignominiosæ morti se
subdidit,
Vt eundē à damnationis iugo erueret.
Increpat eos,
Qui tanti immemores beneficij
Ferinam, versi in malitiam
Humanam amiserunt naturam:
Sed altera est hæc Ioannis vox,
Non in deserto clamans, sed in vrbe,
Vbi

Vbi ferocire cæpere ciues,
Quia syluescere non desierunt mores:
Pertinaciam arguens peccatoris
Obijcit vulnera pendentis,
Ex quibus fluxit pretiū redemptionis:
Vnde animos torpentes excitat,
Lasciuos ardores extinguit,
Eos firmat cruce, qui nutant in fide:
In aliquibus
Pallent genæ erubescentia peccati,
In multis
Erubescunt frōtes obscuritate malitiæ:
Pænitentis assumit habitum,
Qui conscientiæ abiecit stimulum,
Et ad virtutem redit,
Qui errando à rectitudine discessit:
Non cessat,
Donec omnia cōmoueantur pectora,
Quorum mouenda sunt corda,
Et tunc solum
Tonitrua ommittit exaggerationum,
Quando pluuiam videt lachrymarum.
In tepido fletus torrente
Mundatis tot animabus à vitijs
Gratias reddit Christo,
Quem fixum seruat in corde,
Si appensum gerit in cruce.
Curatis vitiorum febribus Viterbij,
Vulnus tamen non potest sanare animi

Quod

Quod inflixit præſentia crucifixi,
Et ex dilato remedio dilatatur
anguſtia:
Nam amor, & dolor
In eodem amplius non ſe patiuntur
corde,
Quia ſi ille ſitit pænas,
Iste iam abſtulit vires:
Sed neminem Chriſtus deſerit,
Qui crucem ſuam baiulat:
Ideò apparet dolenti,
Sicut ſurrexit è ſepulcro,
Vt quæ nimiam amaritudinem
De Calice ſuæ paſſionis hauſerat,
Incomparabili dulcedine
Gloriam ſuæ reſurrectionis libaret.

Inſtruit puellas, & prædicans Viterbij percutitur ab Hæretico, qui punitur à Deo.

CAP. XIII.

In acerba adhuc ætate
Maturitatem exhibens perfectionis,
Puellas excipit inſtruendas,
Quas ſenili prudentia
Puerili exutas leuitate
In tramitem virtutis dirigit,
Quæ

Quæ omnē sanctitatis viam inuenerat.
Æque studens
Sacrare Virgines Deo,
At eripere animas Orco
Illas munit oratione,
Ne vllus detur aditus turpitudini:
Has verbo Dei
Vel fragilitate sensus cadentes sustinet,
Vel pondere peccatorum lapsas erigit.
Sed quæ euangelica veritate
Communiter placet fidelibus,
Oppositis doctrinis
Summopere displicet hæreticis.
Ea solùm prædicat populo,
Quæ didicit à Crucifixo:
Sed ambulantibus in tenebris erroris,
Ingrata est lux veritatis.
Optimis argumentis
Nihil proficit cū pessimis auditoribus:
Sed quid sperare potest à militibus
Federici,
Quos iam nouerat esse ministros
Satanæ?
Visa impossibilitate flectēdi pertinaces,
Concionibus laborat, vt redeant,
Qui in viam falsitatis abierunt,
Errantes reuocans, ac reuocatos
detinens:
Hæc autem lucra animarum

Pleraque sunt iacturæ hæreticorum,
Qui cùm redimere non possint,
Quod quotidie perdunt,
Non valentes damnis prouidere sectæ,
Student modis, vt satisfaciant iræ.
Pro fuganda errorem nocte
Vterbij vna die,
Tam benigne à Catholicis audita;
Quam ægre ab hæreticis visa,
Occupata falce scripturarum
Circa messem copiosam cordium.
Ab insolente hæretico
Grauiter percutitur in brachio,
Sed nec leuiter mutatur in fronte;
Modesta prædicit impudenti,
Vt infra breue trium dierum spatium
Lungam multarum vexationũ seriem
A Deo vindice expectet,
Quem solum insolentia offendit.
Triduo nondum expleto
Completur Sanctæ oraculum:
Nam præsentibus multis
Ipsoque à timore penæ valde distante,
Vnico instanti,
Qui multis annis creuerunt pili,
Omnes ei cadunt ex corpore,
Nulla visa manu quæ agat,
Quia publicam audaciam
Secreta virtus castigat.

Crinis non remanet in capite,
Sed timor figitur in corde:
Frons spoliata cilijs,
Animum implet doloribus:
Genæ cum rubore, quia sine pilo:
Et etiam mentum sine barba,
Quia caput fuerat sine mente.
Monstrum apparet, aut scurra,
Communis obiectum derisionis,
Qui nec potentiã timuerat conditoris.
Sic quietem non habet,
Qui pacem turbauerat,
Nec illi profuit impedire verbum Dei,
Nisi vt se proderet instrumentum
Diaboli.

Signo crucis cæcum illuminat.

C A P. X L V.

Quæ operatur diurnis laboribus,
Prius in orationis studio
Ieiuna digerit assiduis vigilijs:
Non aliunde semper parata
Valetudinem dare, & ægritudinem
tollere,
Nisi quia ibi ab eo instructa,
Qui viuo remedio, quoniam se mortuo
Moriturum sanauerat Orbem.

Varijs

Varijs animorum morbis
Vnico pænitentiæ adhibito remedio:
Qui febri vruntur libidinis,
Gelu rigent contritionis,
Et quos infecit lepra vitiorum,
Iam mundauit abundātia lachrymarū.
Purgatis animis à sordibus,
Etiam corpora liberat à noxijs:
Ante ipsam
Flexis genibus rectas preces
Fundit homo,
Qui luce carens, non fide,
Iuuenili, & semper nascente spe,
In infirmitate, quæ senuit,
Enixe postulat,
Vt suppleat pietate, vbi deliquit
natura:
Vnde ipsa breui ei datura remedium,
Qui longam pertulerat orbitatem,
Ad omnium malorum medelam
Orationem confugit,
Et cæco signo crucis oculos aperit,
Quo prodigio
Multorum hæreticorum ora claudit.
Nouis spectatoribus,
Qui ad eam audiendā vndiq; venerunt,
Ad pellendam erroris vetustatem
Prodest hæc illustrata cæcitas,
Dū mentibus plurimis redditur lumen.
Vnde

Vnde in lege Dei ambulant,
Qui passionum tenebris excæcati
A virtutis semita aberrauerant.

Prædicans, nec ab omnibus audita, mire eleuatur lapide illo, supra quem inuenitur.

CAP. XV.

Vberes prædicationis fructus colligit,
Quia semina sanctæ operationis
præmisit:
Nam loquendi authoritas perditur,
Quando vox opere non impletur.
Omnis vitiorum finis
A suis inchoat virtutibus:
Immò suo sibi asperior cilicio,
Ita benignitate allicit animos,
Vt multos quotidiè dimittat homines,
Qui planè vitijs degenerauerant
in feras.
Pænitentiam indictura frequentiæ
Antea flagellis se cōterit in solitudine:
Et prius quasi exhaustis sāguine venis,
Vt extrahat lachrymas ab oculis.
Ore ieiuno verbi Dei cibo
Innumeras pascit animas,
Quas salutis fames, & miraculorū fama

Viter-

Viterbium duxit.
In publica Vrbis platea
Sacræ arcana ſcripturæ
Diuino exponit lumine,
Vnde Euangelicæ veritates
Obſcuris patefiunt mentibus:
Et tanta facilitate
In enodandis ſe expedit difficultatibus,
Vt eruditos ſubtilitate conuincat,
Et indoctis claritate proſit.
Singulis tamen loquuta,
Ab omnibus non eſt audita:
Sed cuius voci
Perterrita mors ipſa ſteterat,
Eiuſdem indigentiæ, & merito,
Quia in communi via
Singulari operam dat edifitio ſalutis,
Ne quid deſit ipſi met mouentur
lapides.
Petra
Supra quam Dei famula
Feruore contendit prædicationis,
Satanæ liberatura mancipia,
Tanto cum ipſa ſe extollit,
Quod & multitudine confuſi
Diſtinctè eius doctrinam audiunt,
Et qui magis à fide, quam ab ea diſtant,
Vulnerum ſuorum medelam non
perdunt.
Ex

Ex lapide moto, ac muto
Discunt lapidea se moueri corda,
Vel ex ipso fixo
Circa vanitates non vagari mentes,
Et decursus lachrymarum
Testimonium est contritionum.
Permanente in aere petra
Multorum cadit superbia,
Immò durities illa asperis animis
Dare potest teneros sensus:
Nec lapidi attentio deest,
Qui prodigij lingua loquitur.
Absoluta concione
Noui auditorum incipiunt gemitus,
Et in locum, ex quo se eleuauerat,
Redit cum Prædicatrice petra.
In tanta populi frequentia,
Quos soporatos Rosa inuenit,
Et vt expergiscerentur
Zeli spinis non pupugit?
Intenta culturæ animorum
Euangelica manu tot virtutes serit,
Quot sæuas prauitates euulsit:
Illis reddit mentem
A quibus abstulerat vitium:
Populares animos,
Quos hæreticorum perfidia
Nudauerat Religione,
Catholica imbuit veritate:

Et ij ipsi diligunt crucem,
Qui decepti oderant Crucifixum.

Disputat cum Hæreticis, eosque confundit.

CAP. XVI.

Non potuit moueri ille lapis,
Quin grauiter percuteret infideles:
Et quando de centro se extulit,
Tunc eorum audacia corruit.
Magnitudo prodigij,
Quæ plurimum incrementum
Catholicæ religioni dederat,
Hæresis extenuauerat vires,
Hæreticorum tamen non vicerat
mentes.
Argumento probatæ sanctitatis
Pertracto ad censuram,
Lapide in sua contumacia duriores
Tenera virtutum germina
Falsitatum zizanijs inficere student:
Malentes abundare in malitia,
Quam à miraculo instructi
Damnata recedere à prauitate.
Hostili arogantia
Mitem puellam agressi
Secum certamen de religione habent,
Non

Non vt agnoscentes falsitatem
Eam reijcere velint,
Sed vt doctrinam, à qua abohorrent,
Fallacijs confundere possint.
Adductis varijs scripturæ locis,
Vt multitudo confusionem pariat,
Nituntur eam implicare dolis,
Sed eos ætas iuuenilis filiæ fallit,
In qua virtus diuina senuerat;
Audituri puellam stupent oraculum:
Nam pari facilitate
In disimili argumento
Obscura explicat, contraria retorquet:
Distinguit
Opposita per apparentem sensus
vnitatem,
Et copulat,
Quæ videntur gignere differentiam.
Praui dialectici, & peiores sophistæ
De lege disputant diuina,
Adhuc erudiendi humana:
Sed quomodo
Eorum argumentatio bene concludere
potest,
Si vt negata probent,
Semper medium falsitatis assumunt?
Leuissimæ mentes
Grauitatem non ferunt sermonis:
Nec mirũ, quod sanã doctrinã respuant

Si semper in cathedra pestilentiæ
sederunt.
Audaces venerant,
Vt eius doctrinæ adimerent fidem,
Sed confusi, non correcti
Catholicæ religioni addidere lucem:
Noluerunt intelligere, vt bene agerent:
Ideò arida horum animorum tellus
Pluuiam rectitudinis suscepit,
Sed fructus veritatis non germinauit.

Præcipitur ei, ne amplius loquatur de fide Christi, sed eam libere prædicat populo, & propter eandem se exhibet morti.

CAP. XVII.

Impij offenduntur vnde erudiri
deberent:
Et raro prima perfidiæ rudimenta
Non sunt postrema integritatis exitia.
Ex quo Rosa confutata hæreticorum
falsitate
Eorum facies ruboris flamma
accenderat,
Eius sanguinem sitiebant:
Et perditi ipsam perdidissent,
Sed populi timor, non Dei
Ma-

Manum cohibuit, non animum.
Apud Præsidem Imperialem Viterbij
Ab ijs accusatur stultitiæ,
Qui eius nequiuerant resistere sapiētię:
Et repræsentatur pro crimine
Id, quod est dignum laude:
Eam corrupisse obseruantiam legis,
Quæ corruptos sanauerat mores.
Innocentiæ causa agitatur à perfidia,
Et peiorem accusatoribus Iudicem
habet:
Qui cum iustitiam non agnoscat,
Non nisi iniusta decernit.
Discordiæ appellat semina,
Quæ sunt pacis fundamenta:
Et iubet admoneri filiam,
Ne doctrina Christi seducat populum,
Qua solum composuerat Vrbem:
Neq; amplius eius dogmata ferat,
Aliter contumacia lacessita iustitia
Sæuos doloris fructus colliget.
Sed rarò bene iubet, qui male præsidet:
Legis est iustitia finis,
Quæ recta suadet, & contraria
prohibet:
Hic autē ei officia vetat humanitatis,
Quæ non ferebat nisi remedia salutis.
Sub ferino capite
Facile feritatē induunt etiam membra:

Vnde miniſtri Præſidis, ſed magis Satanæ
Poſtponenda præmittunt,
Et in innocentem nocentes manus inijciunt:
Sic conantur os occludere puellæ,
Et ij ipſi ſunt,
Qui noluerant aures aperire veritati.
Sed vbi integritas contra impietatem laborat,
Conceptum ſermonem retinere non poteſt:
Intrepida Crucifixum extollit,
Vt hæreticorum audaciam deprimat,
Et liberè prædicat populo,
Catholicos firmans in fide,
Quos iam inſtruxerat euangelio.
Non territa minis, quia aſſueta pænis,
Tenebricoſos non horret carceres,
Quia tunc illuſtrior fieret,
Quando luce careret:
Pectus offert ferro, ſanguinem iræ,
Animo parata ſuſtinere flammas,
Obuia in nudos ire enſes,
Ieiunis leonum occurere oris,
Eam ſperans humanitatem à feris,
Quam non inuenerat in hominibus,
Victimam ſe exhibet furori,
Nec pauet ex ſupplicijs vulnera,
Quæ

Quæ assiduis confossa flagellis
Non quærit sine tormentis præmia:
Immò incitat constantia Hæreticos,
Vt videant si in sustinenda Christi lege
Ipsa reformidet sæuitie Tyrannos,
Dum tāta inuitat humanitate lictores.

Ab eodem Præside recipit ordinem discedendi cum genitoribus ex Vrbe Viterbij.

CAP. XVIII.

Impietas Iudicis est calamitas
innocentis:
Sed à ministro Federici
Quid expectare poterat puella,
Si Iudicis partes implebat nequitia?
Malus Imperator
Rarò sibi dissimilem delegat ministrū,
Admonitus Præses de ijs,
Quæ Rosa in contemptum suæ legis
Non minus dixerat, quam fecerat,
Pallet, erubescit, fremit:
Et atrum linguà effundens virus,
Quod est argumentum sanctitatis
Damnat titulo perfidiæ.
Sæua tumens bile
Laudanda periurus abiurat,

Quia zelus apud impium sordescit,
Et iræ potius, quam officij sensus
induens,
Qui omninò humanitatem exuerat,
Necessarium censet Rosæ cruorem,
Vt polutam abstergat legem,
Cuius sordes fætentes Mundo,
Sed magis odibiles Deo,
Æterna flamma solum expurgat.
Mauult
Fidus agnosci minister Imperatoris,
Quam amicus credi veritatis:
Ideò in innocentis perniciem
Immanis solum immania cogitat,
Et eius menti obijcit furor
Carceres, flagella, ignem, supplicia,
feras.
Ira tamen consilio caret:
Vnde rerum status, non æquitas
Aliter suadet:
Ex tanta Prædicatricis constantia
Prima suæ sectæ elementa nutabant:
Quare vehementer timens,
Ne diffusa ipsius doctrinæ semina
Radices agendo propagentur,
Orta extinguere festinat,
Sciens, quod ea euellere fundata
non posset.
Mutato consilio, non reiecta feritate,
Præ-

Præcipit Rosæ,
Eadem sententia plures daturus angustias,
Vt vnius diei spatio
Ab vrbe cum genitoribus abeat:
Malens dimittere exulem,
Et si libentius vidisset occisam:
Dilaniari enim iussisset insontem,
Sed non fecit, quia timuit,
Ne eius interitus commoueret populum.
Impie Præses!
Animo occidisti, si non ferro:
Poteras tamen exercere sæuitiam persecutoris,
Quia stupuisses constantiam martyris:
Sed fortasse
Amplius non curas perimere supplitio,
Quam diutius vis torquere exilio.

Deprecatur Præsidem, vt rigore temporis differat ordinem secedendi ex vrbe.

CAP. XIX.

Vide ô filia.
Ne iusta in te sint Hæreticorum odia!
Tres tibi natales inerant,
Quando senem coegisti mortem,

Vt tibi viuam reſtitueret genitricis
ſororem:
Sed quid fuit ſepeliendam reſuſcitare,
Niſi eorum ſpes vix natas ſepelire?
Gemino adhuc tenera luſtro
Vt haberes in plateis frequentiam
Induxiſti in ſuburbia ſolitudinem,
Et penè infinitas attrahens gentes,
Quæ tuæ doctrinæ memores,
Se ipſas obliuiſcebantur,
Oppida reliquiſti ſine populis:
Et quos beneuolos habueras auditores,
Tandem dimiſiſti gementes.
Non eſt hæc maleuolentia recens,
Quæ in eorum animis conſenuit:
Quia tuos cæperunt odiſſe mores,
Etiam quando diligebas pauperes:
Nam occaſione dādi famelicis eſcam,
Eorum querela tibi conciliabas
populum.
Quid nam fuit à tua vigilantia tutum?
Amouens cæcitatem ab oculis
Iniecisti ſtupiditatem mentibus,
Vt facilius auferres corda,
ab hominibus:
Quin immò inimica quietis,
Parum tibi fuit
Plures agitaſſe doloribus animos,
Niſi eoſdem etiam moueres lapides.
Hære-

Hæretici
Nunc te eijciunt, quia te timent:
Saxum illud, quod premebas pede,
Minabatur perniciem capiti:
Et ſane agnouit Præſes,
Quod ipſo in aere ſtante
Multum ſuæ auctoritatis ceciderat:
Ideò ne indigeat lachrymari ruinam,
Te velut malorum expellit originem.
Abire parata, & obire,
Genitorum tantummodo te tædet,
Quos pariter ſæuitia multauit exilio,
Vt vna omnes torqueat ærumna:
Hinc à duritie tempeſtatis flexa
Præſentiam non adires Præſidis,
Niſi tempus ipſum niue rigidum,
& glacie,
In te ardorem excitaret charitatis;
Et ne attrocitate itineris pereant,
Qui tui cauſa infortunium ſubeunt.
Fruſtra tamen poſito genu
procumbens
Ab eo efflagitas pietatem,
Qui ferarum induit naturam:
Nec eius aures potes mulcere prece,
Cui animus ineſt aſperior ferro:
Lachrymas tuas bibit ſurda tellus,
Quia alluit, non emollit cor lapideum
fletus:

Atque hoc incendium iræ
Tuo solum extingueretur sanguine:
Grauior est casus, quia sine leui
remedio,
Sed est sententia tyranni:
Qui cum auditum præbuerit perfidiæ,
Nullam aurem seruauit innocentiæ.
Ite sine mora!
Quia cito pede labitur dies:
Rosæ, quæ redolent,
Non nisi ex spinis prodeunt,
Et aurum pretiosum meriti
Tribulationis perficitur igne:
Eritis absque domo, sed non sine Deo:
Qui occasione aduersitatis
Dat suæ, & recipit vestræ signa
dilectionis:
Et si hæretica prauitas vos non odisset,
Fortasse Deus non ita diligeret.

A militibus Præsidis ducitur cum genitoribus extra Vrbem.


CAP. XX.

Aspera hyeme rigidior sæuitia tyranni
Precum calore non tepescit,
Et induratam frigore perfidiæ glaciem
Lachrymarum torrens non resoluit,
Non

Non nisi pessimus iudex
In optima innocentiæ causa:
Quia cui sodalis est nequitia,
Æquitas est odiosa.
Humilem filiam expellit arrogantia;
Cuius non erat dignus præsentia:
Nec vult temperare dilatione
sententiam,
Nam hostis nequissimus naturæ
Deflenda gaudet temporis attrocitate;
Et iubet, vt sollicite discedat,
Sperans, quod discedendo pereat:
Sed quæ nulla prospera appetit,
Nulla aduersa pertimescit.
Cum genitoribus à militibus Præsidis,
Immò à barbaris humanissima filia
Pellitur per asperam montis viam,
Et ibi deseritur à milite,
Vbi in ancipiti casu indiget duce.
Tribus est vna, ac prima calamitas,
Inuoluta nubibus die,
Et gelido bacchante borea,
Concipere horriditate metum:
Non enim occurrunt oculis,
Nisi pereundi pericula,
Neue terra operta niue
Vlla habet amplius vestigia tramitis:
Vnde in incerto itinere
Sola exhibetur certitudo necis,

Firmi fide progrediuntur tremulo
pede:
Eundo timidi, & passim errantes,
Quasi semper cadentes, & sæpe lapsi,
Non semel sub niue sepulti,
Et nunquam à periculis liberi,
A ventis pulsi, & in ærumnis
immobiles,
Vbique vexati, nullibi dolentes,
Quia etsi sæpè cadant in itinere,
Nunquā tamen eorum ruit tolerantia:
Occumbente demum oculis die,
Noua exoritur animis tristitia:
Asperis rigidi aquilonibus,
Et magis tot perpessis incommodis,
Cibo carent, & tecto:
Dicerem, & igne: nisi arderent
charitate.
In attrocissima nocte,
Horroribus magis obscura, quam
nubibus,
Destituti viribus, non animo,
Sub cælo atra caligine turbato,
Etiam illustres, cum sine luce,
Decumbunt super glaciem mente
serena:
Sed peior itinere quies
Adimit asperitate vigorem languidis,
Addendo gelu afflictionem membris,

Post aduersam noctem
Ab amica allecti luce
Surgunt, qui nunquam quieuerunt:
Sed montis squallor, & inuia solitudo
Innocentes fatigatos adhuc deterret:
Vnde per obsitum niuibus montem,
Ex manifestis vix egressi periculis
In occulta denuo prolabuntur
praecipitia.
Tandem gemina semper sociati
molestia,
Frigore acerbo, & lassitudine,
Raris humani cultus repertis vestigijs,
In tuto limite procedunt lubrico pede,
Et frigidiores acceptis molestijs,
Quam calcatis niuibus,
Ad oppidum perueniunt Soriani,
Ore pallentes, & madidi pruinis,
Qui exilium ferunt siccis oculis.
Ante ianuam sedendo quiescunt,
Quia non refecti cibo, & repleti
angustia,
Male valent sustinere membra,
Qui bene potuerunt sufferre mala.



Ante ianuam Soriani cum genitoribus quiescens benignè excipitur à populo.

CAP. XXI.

Animi quies est virtutis vsus:
Vnde qui non teritur aduersorum molestia,
Tranquillitatis iam posuit fundamēta.
Horum insontium pectus non languescit,
Quia quod affligit requiem putant,
Nulla casus mutatione flexi,
Qui in angustijs fortiter steterunt:
Dulcis enim est amaritudo,
A malis bonos mala pati,
Et aduersa ab aduersis vix ferenda ferre.
Inter firmos genitores immobilis Rosa,
Motis circa eam omnibus,
Nec violēto hostium motu perterrita,
Nec incusso minarum metu turbata,
Ita per glacies incessit, ac niues,
Ac si deambulasset per rosas:
Sæpè tamen illæ erubuere,
Eo quod licuerit eis
Cruorem sugere ex pedibus,

Quem

Quem auidius ferro
Tyrannus hausisset ex venis.
Quæ frangi non potuit nimium
aduersis,
Inuenit tamen meliora lapsis:
Ab hostibus pulsa
Ante ostium Soriani quiescit
Ad sedandas corporis, non animi
molestias:
Sed hæc tam necessaria quies
Commouet oppidi populum,
Qui vt eius fruatur præsentia,
Cum adhuc stupeat præterita,
Vndique confluit ad ianuam,
Et in illa ætate adhuc acerba
Maturam veneratur sanctitatem:
Licet sectator Federici
Dispari cum hæresi assumpto more
Humanitatem propemodum exuerit:
Sed viso illo humanissimo aspectu,
Cur feritatem non deponeret,
Si propter eam lapides ipsos motos
audiuit?
Hospites benignè excipit languidos,
Deteriori laborans languedine,
Ac in offitijs se exercet charitatis,
Cum maioribus indigeat pro salute;
Nec pio cessat obtutu
In tam rigida tempestate
Intue-

Intueri nuditatem pedis,
Nudior ipse reiecto euangelio,
Quam ea non induta calceo.
Infelix tot ærumnis aduentus
Reddit amabiliorē gentibus præsentiā,
Quæ eius dolentes casu,
Dum magis mœrere deberent proprio,
Suam induunt calamitatem,
Et stupent, quod patiendo ferat,
Quæ hostis sæuiendo intulit:
Ita tamen infortunio non condolerent exilij,
Si suæ præuiderent occasionē fortunę.
Puellę indigētię subueniūt, & egestati,
Pauperiores ipsi amissa fide:
Hinc lapsas reparaturi eius vires
Igne fouet, qui hæresi rigent,
Reficientes cibo reficiendi gratia:
Ac bene eam curant, ne deficiat,
Quæ ipsos citò est curatura, ne pereāt.
Culta ab omnibus, ac laudata,
Non tamen indiga laudis,
Eorum recusat honores,
Quorum potius sitit animas:
Et aure excipiens præconia, non animo,
Audit sine elatione plausus,
Ab ijs magis sperans cum resipiscentia fletus.

Præ-

Prædicat populo Soriani, eumque ad fidem catholicam reuocat.

CAP. XXII.

Ex semine fæcundo charitatis
Non erumpunt nisi fructus salutis:
Vnde hic populus
In atra errorum nocte cæcutiens
Frustra puellæ non impendit opem,
Pro qua fidei est accepturus lucem.
Solum spectato tanto morum candore
Se turpem cæpit agnoscere:
Et vere hoc lumine sanctitatis egebat,
Quod obscuras labes detegeret.
Notitia peccati est initium salutis:
Ipse met Petrus
Quia in domo obscura Caiphæ,
Etiam tertio iurat se non nouisse hominem,
Quem nec nominat præceptorem,
Cuius iam ignorat se fuisse discipulum:
Immo antequam gallus cantet,
Neque se esse gallileum meminit:
Sed cum deformitatem negationis agnoscit,
Tunc egressus foras
Amarissimo fletu sordes abstergit:
Gens

Gens iſta ſola retenta falſitate
Omnem diſciplinā virtutis abiecerat:
Adeò perdita,
Vt eadem vitia mores fierent:
Adeò ſopita,
Vt nec ſe peſſimo morbo grauatam
agnoſcat:
Et tunc ſolum ſentit primordia ſalutis,
Quādo excitata ab hac apoſtolica tuba
Suæ deprehendit pericula infirmitatis.
Ex eius ore vocem Dei ſuſcipiens
Decepta errore eruditur Euangelio,
Et velut ouis, quę errauerat, regreditur,
Ita æſtimans, quæ ab ea audit,
Vt contemnat quæ falsò ab aliijs
didicit,
Abiurans errores, quos ſuſtinuit,
Et deflens veritatem qua caruit:
Nunquam forſan damnatura falſitatē,
Niſi ab hoc oraculo veritatis
Audiret monita ſalutis,
Quibus à via declinaret perditionis.
Maius hoſpitalitate benefitium
A minori non poterat oriri principio,
Quam à charitate:
Hæc enim operit multitudinem
peccatorum.
Populus hic, quia erga eam
miſeratione motus,

Priuilegio gratię remouetur ab errore:
Nam senili vitiorum pulsa hyeme,
Conscientiæ incipit virere stimulis,
Cum antea rigeret flagitijs.
Correcti omnes, ac compuncti
Contagia culparum purgant igne
dolorum,
Ad Deum reuertentes contritione,
Quia ab eo recesserant peccato:
Sicque comissa flere non desinunt,
Vt flenda rursus non comittant:
Ac tanto maiora
Quærunt bonorum lucra per
pænitentiam,
Quanto grauiora
Sibi intulerant damna per culpam.
Egressus prauitatis
Ingressum operatur virtutis:
Magistri erroris extiterant,
Quia discipuli veritatis non fuerunt,
Vt enim meliora profiterentur,
Peiora sequebantur:
Sed nocte infidelitatis
Versa in meridiem iustitiæ
Renuntiant improbitati,
Et occasiones iniquitatis desecant,
Quæ morum putredine sine fine
vagabantur.
Firmi in fide, qui corruerant hæresi,

Catholicæ aſſentiunt Eccleſiæ,
Si perduelles diſſentiebant abEuãgelio:
Altaribus reſtituentes cultum,
Eiecta ſuperſtitione è domibus,
Sed prius falſitate ab animis:
Ibique venerantur crucem,
Vbi colebant Satanam.
Adoleſcunt virtute,
Qui ſenuerant infidelitate,
Magis amici rectitudinis,
Quàm antea ſectatores falſitatis:
Sic hoſpitalitati præmium reſpondet,
Quia Roſa relinquit Catholicos,
Quos inuenerat hæreticos:
Immo zelo prædicationis
Oppido reſtituit homines,
Quos morum feritas probitate deſerta
Ab humana conditione deijciens
verterat in beluas.
Ora populi laudantis meruit,
Laudes tamen eius non admiſit,
Hoc ſolum contenta
Imbuiſſe ad virtutem dociles,
Ac reuocaſſe ab erroribus perditos:
Non enim cupiebat excitare plauſus,
Cuius ſtudiũ erat mouere lachrymas.

Orat pro infalici statu Ecclesiæ, cuius proximam tranquilitatem intelligit ab Angelo.


CAP. XXIII.

Magnitudo operis est mensura laboris:
Seniles plurium annorum errores
Paucis diebus, non paruo conatu
Euellendo desudauit, desudando eulsit:
Et tantæ beneficium consequentiæ,
Quod prædicatione Soriano peperit,
Non nisi inter flagella conceperat.
Sic tempus hæc prudens Virgo distribuit,
Quod iners nulla pars abit:
Dies dispensans in salutem animarum,
Noctes transigens in feruore meditationum:
Vnde omnem suo adimit quietem corpori,
Vt eam obtineat Ecclesiæ.
Orans consperfa lachrymis
Ab ardoribus alienæ excitatis salutis,
Angustias patiendo deficit,
Dum hæresis nutrita licentia belli
Non crescit, nisi vbi bonitas ruit.
Belloque peior animas, non homines necat,

Singu-

Singularis eius dolor
Eſt communis Italiæ caſus,
Quia pulſa armis, ſed vaſtata vitijs,
Superſtitione læſa, & ferro,
Tepens ſanguine, friget cultu,
Cadêtes habens vrbes, & dirutas leges,
Peiore tamen lapſu
Deficiente religionis fide,
Quam attrita vrbium gloria.
In tanto armorum tumultu,
Nec tuto Romæ Innocentio Quarto,
Ipſi etiam inſidias moliente
Ferali animo Federico Secundo:
Vnde ſecuritatem illam,
Quam ſuo dare nō poteſt Roma capiti,
Vniuerſali præbet Gallia Paſtori.
Catholico diſperſo grege,
Et ſine ſacri præſentia nautæ
Apoſtolica periclitante naui,
Cilicio, & ieiunijs ſquallida
Eccleſiæ ſtatum deflet,
Deteriorem collapſa morũ probitate,
Quam ſtante hoſtium inſolentia.
Suarum immemor afflictionum,
Quia aliena damna ſentit, non ſua,
Abſterſa ſanguine non ceſſat à fletu,
Cupiens populorum exſiccare
lachrymas,
Et remedia à Deo expoſcit,
Ne

Ne inualescente hæresi ecclesia pereat.
Has fundit preces in silentio noctis,
Mox stupet veluti claritatem diei:
Angelus ab alto delapsus æthere,
Gloria indutus, & luce,
Obductos mærore eius illustrat sensus
Verba promens, & fletus premens,
A communi opinione, non à desiderio
remota
Proxima nuntiat:
Breui sedandos aduersitatis fluctus,
Et regressu Pastoris
Errantes redituras oues.
Tanti forsan aspectus splendoris,
Mestæ virgini non prodesset,
Si non à se, sed à proximo suo,
Calamitates amouendas non sentiret:
In ea enim sopiuit causam doloris,
Quia communis excitauit spem
tranquillitatis.
Et tu amice lector
Plurimum proficies, si studeas,
Non quæ tibi placent, sed quæ alijs
prosunt.



Soriani populo annunciat obitu Imperatoris tranquilitatem Ecclesiæ.

CAP. XXIV.

In rebus humanis
Dura facile duris subnectuntur,
& diris:
Absentia coacta Pontificis,
Auget insolentiam Imperatoris,
Qui apertus Ecclesiæ hostis
Clauso sibi pertinacia salutis ostio,
Hesperiam
Obruit ferro diffluente, & hæresi,
Aggere conscientiæ fracto.
Hinc eius miles,
Et ferus furit, & ferreus ferit,
Inhians sanguini, non contentus auro:
Vnde etiam primi eius furoris motus
Vltima sunt exitia gentis:
Et quod crudelitati deest, facit,
Ipsas vertit in sepulcra domus.
Sed proxima est imperio ruina,
Quando ferro sustinetur, nō probitate:
Puella dono profetiæ illustris
Sorianū firmans Euangelicis doctrinis,
Quod ab erroribus recesserat
Imperatoris,

Eius

Eius interitum breui futurum
Prædicit populo,
Nec euentus multum distat
à prædictione:
Octauam post elapsam diem
Vltimam ipse coactus ad horam,
Italiam sæuissima fera,
Ecclesiam ferino hoste liberauit.
Hic obitus caruit fletu:
Nam sicut viuens omnium attraxerat
odium,
Ita moriens nullius meruit pietatem:
Et quia omnes lachrymas hauserat
viuus,
Nullas habere potuit mortuus.
Quæ beneficia moriens reliquerit
mundo,
Ne quæras!
Cuncta, quæ egit
Aut obliuione digna, aut odio:
Hoc solum quisque bene sensit:
Illum ereptum fuisse è viuis,
Qui etiam sæuiebat in mortuos
Vnde cuius vita displicuit, mors
placuit,
Et tunc solum profuit, quando periit.
De spiritu eius quidquam non
inuestiges!
Hoc solum scias,

Quod hic vir prauus agnitus à probis
Censebatur sine anima:
Et sane intellectus fuit expers,
Quia vt solus in Hesperia regnaret,
Regnauit etiam sine Deo.
Ex huius vniuersitatis corpore
Secto læthali falce hoc pestilenti
membro,
Seù potius ablato hoc triformi mõstro
Corporibus infesto, & animis
Ira, ferro, & hæresi,
Quo mitiores gignere solet
Africa feras, Hyrcania tigres:
Fideles excusso tyrannidis iugo,
Ferro armati, & fide
Hæreticos ab vrbibus pellunt, & vicis:
Sic vnius mors plurimas potuit saluare
vitas,
Cũ vnius vita tot soleret ferre mortes.
Sũmus Pontifex Innocentius Quartus
Septimo iam redeunte vere
Sui discessus ab vrbe Romæ,
Rapaci extincto lupo,
Ex Gallia in Italiam reuertitur,
Et bonus Pastor dispersum colligens
gregem,
Purgare prudentia non desinit,
Quidquid hæretica lue contabescit.
Resignat ecclesiæ vsurpata ab hoste,
Male

Male deiecta erigit,
Et non rite erecta deijcit:
Cuncta restituit, quæ prauitas
abstulerat,
Iustitiam foro, & cultum altari,
Disciplinam vrbibus, & probitatem
animis:
Vnde incipit reflorescere Italia
religione,
Quæ iam aruerat desuetudine:
Et meritis Sanctæ Rosæ
Exaudita tacent, quæ querebātur ora,
Sicut sacra plaudunt, quæ siluerāt æra.

Viterchianum adit hæresi à pessima, & magica muliere infectum; ibique prædicat, sed prædicationis labor est sine fructu.

CAP. XXV.

Semper aliquid noui fert nequitia:
Vna vix pulsa ab orbe belua,
Nouum tartareo è specu exilit
monstrum.
Hoc virum non voco, nec beluam,
Minus postea fæminam,
Generis enim est neutrius:
Quia humana reiecta natura,

Et peiore assumpta ipsa ferina,
Est quoddam deforme deformiter
viuens,
Immò specie carens, quia nullibi similis
Inuenitur tantæ turpitudinis squallor.
Diabolus est muliebris,
Nisi propriè magis diabolica mulier:
Quæ venefica obscurior Circe
Se humanitate spoliat,
Vt alios feritate induat.
Proterua stygij parentis soboles,
Quia semine potius malitiæ sata,
Quam ex humano sanguine orta,
Annorum serie deformis,
Sed morum obscenitate turpior,
Rugosa in fronte, at magis horrida
in anima,
Tabifica Vitorchianum lędit doctrina,
Adeò contagio hæresis fætens,
Vt pestilenti noceat, & halitu.
Quolibet imbuta scelere,
Quia nulla disciplina culta,
Sed sola prauitate educata,
Omnem profitetur artem,
Dempta illa, quæ ducit ad salutem:
Perdita viuens sine lege,
Immò mortua sine fide.
Magicis incantationibus verè falsa
Apparētes excitat prodigiorū species,
Qui-

Quibus dū placet oculis, obest animis:
Ita velamine malitię illustria obscurat,
Vt obscura, quæ agit, illustret.
Prauitate induta dæmonis
Iacturæ solum studet animarum,
Quas rapit cælo datura erebo:
Hinc miserum Vitorchiani oppidum
In eo seductum, in quo directum,
Hanc quia, vt oraculum audit,
Satanam colit.
Huc opportuna aduenit, & necessaria
Consultura malis sanctissima puella,
Oppidum enim subuerterat sacrilega
mulier:
Vnde probi defecerant mores,
Et mentes læsæ rubigine hæresis,
Salutari obsoleta veritate,
Vetustate desipere cogebantur erroris.
Zelo animarum filia feruens
Nititur quantum ipsa prædicatione
potest,
Vt hanc gelidam falsitatum hyemem
soluat:
Et alter hæreticorum malleus
Lapide duriores animos,
Ærea corda, & ferreas mentes
Frangere studet, sed operam perdit;
Prauus enim vsus difficile aboleri
potest,

Quia inueterata consuetudo
Prauitatem in naturam conuertit.
Aut forsan gens ista monita salutis
Intelligere etiamsi cupiat, puto, quod
non possit:
Et vere mentes potius, quam aures
Magica saga exsurdat arte:
Ita quos Rosa euangelicis doctrinis
Conatur diuertere ab errore,
Tetris præstigijs,
Malefica mulier detinet in malitia.
Vah proles lachrymabilis inferni:
Vah turpe, & infernale monstrum:
Stupeo, quod hactenus patiens tellus
Te culpis grauiorem, quam annis,
Sustinendo sustulerit,
Et adhuc sufferendo sustineat.
Non est, quod hoc longe seueriora
Tua non mereatur nequitia:
Sed quia in eadem vltima ætatis hora
Benigna ad pænitentiam
Adhuc te expectat misericordia.
Ab eo,
Qui non venit vocare iustos,
sed peccatores,
Quæreris tanquam pedita ouis,
Exue ergo sordida vetustatem
prauitatis!

Ali-

Aliquas Vitorchiani domus prædicatione ab infidelitate reuocat, adolescentulam cæcam illuminat, quo miraculo totum Oppidum ad Christi fidem conuertit, mulierem veneficam tamen ad veritatem euangelicam reducere non potest.

CAP. XXVI.

Annosa non semel icta ferro cadit arbor,
Et sterili non nisi sæpè culta vomere
Feracitate iuuenescit tellus.
Huius oppidi conuersio ò filia
Maximi est laboris onus:
Prædica, insta, argue, obsecra, increpa!
Quia non erit sine opere labor.
Quam inueterauerit huius populi prauitas,
Ex hoc conijce! quod Sancta
Ita profundas reperit improbitatis radices,
Vt dum multas diuellere censet,
Diebus, non horis, vix aliquas possit.
Hic mille errorum species,
Et vna omnium falsitas:

Vt bruta viuunt homines,
Diſpares moribus, ſed ſimillimi vitijs,
Et adeò falſitatum confuſione
Animi aruerunt;
Vt procul dubio mirum non ſit,
Si prædicationis perſeuerantia
Pauci rectitudine reuireſcant.
Hoc principium tamen conuerſionis
Dimidium eſt operis:
Cætera etiamſi adamantina
Non poterunt non diſſolui corda:
Calidus hanc ſanguis virtutem
habebit,
Quem pro harum animarum ſalute
Aſperis ante Crucifixum flagellis
verſat.
Intereà medetur etiam corporibus,
Quæ venit curare animos:
Domus vna ex his, quæ reijecerant
hæreſim,
Sat bene illuſtrata euangeliō,
Adhuc tamen eſt obſcura infortunio:
Sine luminibus editam in lucem
Adoleſcentulam deflet,
Et quæ iam ſalutem animæ receperat,
Vt ab ea corporis noxam tollat, rogat.
Sancta manu vna, ſed pluribus meritis
Super informes oculos formato ſigno
crucis

Elar-

Elargitur lumen, cui prius dederat
fidem:
Et eodem tempore
Eius implens lumine pupillas,
Cæteris aufert cæcitatem ab animis:
Sic fæliciori euentu, quam initio,
Quæ prædicatione inchoauit,
Miraculo absoluit.
Hæc noua lux
Tetram falsitatum excutit caliginem,
Vnde hic populus
Errore seductus emendat errata,
Præterita plangit, & plangenda fugit:
Et qui durioris ceruicis
Conuerti à prauitatibus suis
neglexerant,
Maiori amaritudine resipiscunt.
Solum perfida incantatrix,
Nec prædicatione flexa, nec prodigio
mota,
Suæ tenax falsitatis,
Et alienæ inimica salutis,
Blasphemiarum virus euomit ab ore,
Virulentã retinens pertinaciã in corde.
Nouos serit errores,
Vt satas disperdat virtutes,
Attroci sui peruersi ministerij conatu
Infernum commouet, vt sedata turbet:
Et solicita denuo tentat,

Aut proba nascentia extinguere,
Aut bene nata deturpare.
Solita decipere animos,
Modo nullius attentas habet aures:
Vnde successu attonita, non cōpuncta,
In materia gaudij impletur tristitia.
Et furore acta insano
Cum Sancta disputat, sed discere renuit:
Et coram populo
Semper confusa, nunquam tamen correcta,
Obiectis non potest non pallere flagitijs,
Sed mauult sustinere in audiendo verecundiam,
Quam assumere in operando disciplinam,
A Sancta corripitur,
Sed reprehensio non proficit:
Ex correctione melior factus Manasses,
Hæc autem sicut Nabal
Semper fit ex commonitione deterior:
Quare in ea spes aliqua salutis non apparet,
Quia pungitur, & non dolet.
Caue ò improba mulier,
Ne tanti beneficij occasionem perdas,
Nam serò te perditam plorabis.

Mulierem sagam conuincere amplius non sperans doctrina, conuertit miraculo.

CAP. XXVII.

Menti furore ebriæ
Omne, quod rectum dicitur, peruersum
videtur.
Hęc indomita mulier sua arte nequior,
Quanto magis à Sancta veritatem
audit,
Eo amplius in malitia excitatur,
Quia nil iustum putat, nisi quod ipsa
facit:
Ideo proterua
Si rogatur despicit: si monetur, deridet:
Si stimulatur, repugnat; si pungitur,
insanit.
In risum vertit digna luctu:
Vnde ignis æterni non riget minis,
Et in sua obstinatione rigida
Minus cælestis tepescit gloriæ spebus.
Toruo vultu, sed ferociori animo,
Ita effrenis, vt cum maioribus flagitijs
Sensus in eius pertinacitate minores,
Sint malitia pares:
Sicque vere petra scandali,
Vbi

Vbi ad monitionum semina arescunt,
Quia resipiscentiæ humorem non habent.
Quam tamen Sancta pertinacem
Rationibus vincere non potest, & doctrinis,
Conuincere non diffidit experientijs.
Viginti diebus se offert,
Nec esca pellere famem, nec potu leuare sitim:
Et si exacto talis abstinentiæ cursu viuat,
Ipsa abstinendo a contumacia credat.
Hæc probatio, quæ esset inditium sanctitatis,
Refellitur a perfida,
Sicut non repugnans naturæ:
Subridendo enim respondet,
Humanam facile hoc ferre conditionem,
Immo longiora ieiunia
Lupos sustinere, & grues.
Ardeat (ait sancta) vastus ignis
Prima luce media in platea,
Ipsa me vrgebo inter flammas:
Et si qualis modo viuo, talis exeam,
Tu, quæ male senescendo peris,
Iuuenescens moribus, bene mori discas,

Ore

Ore annuit saga, non animo:
Non enim expectando prodigio,
Priscum designat mutare morem,
Sed publici occasionem ignis attendit,
Vt ipsam flammis consumptam
derideat,
Et populo suam obijciens leuitatem,
Denuo imbuat, quos imbuendo
infecerat.
Optata adest cum luce dies:
Parantur ligna, sacra resonant æra,
Iamque omnis est in foro domus.
Excitatur ignis,
Quo feruente ardentior fide Sancta
Furentes ingressa flammas
Intacto calcat pede prunas,
Ceu molli virentes premeret gressu
herbas:
Non mersa flammarum vndis,
Nec strata fauillarum procellis,
Et corpore non læso, nec habitu.
Torrente non minus igne, quam
terrente:
Nullo mota metu mouet animos,
Immotas tenens adstantium aspectus:
Et quos prædicatione instruxerat,
Miraculo confirmat.
In flammarum naufragio
A sagæ oculis ciet lachrymas:
Hæc

Hæc enim arrecto crine, quia lapsa
audacia,
Ante ignem calesit gelida in anima,
Concepto ex prodigio calore,
Confuso tamen rigens torpore vultu:
Falsitatis vento concreta,
Magis autem veteri consuetudine
indurata
Liquescit obstinationis glacies,
Tepido ex oculis decurrente fletu:
Vnde cor, quod constrinxerat
pertinacia,
Dissoluit compunctio.
Extincto ignis incendio,
Et accenso incantatricis animo
Exilit Sancta datura viuendi normam,
Cui iam flāmis dederat veritatis lucē.
Correctam eam ante pedes habet,
Quæ post humeros conscientiam
abijcerat,
Et miscentem gemitus cum precibus
audit,
Synceram confessione, quæ erat plena
dolo.
Instructione Euangelica
Animum aperit, quem perfidia
clauserat,
Et præceptis fidei pretiosioribus
balsamo

Vlcera sanat infidelitatis:
Sicut salutari admonitionum medicina
Omnem aufert ægritudinem erroris.
Flexa semel durior ferro
Tristatur se sero agnouisse tristem:
Sed quo vberius culpam deflet,
Eo altius cognitionem veritatis
attingit:
Vnde dum se de prauitatum vetustate
redarguit,
Alacri morum nouitate iuuenescit.
Gaudet Sancta, quod dolere nõ cesset,
Vt turpiter patrata delere possit:
Et verè pænitens obstinata,
Digna venia pessimo indigna habitu,
In salutari lachrymarum fonte
Fit munda contritione,
Quæ erat sordida prauitate:
Lachrymæ enim
Veniam non postulant, sed merentur;
Ne denuo cadat, quæ optimè
surrexerat,
Monetur à Sancta,
Vt contrita Crucifixo accedat,
A quo tam peruesa recesserat:
Et vt fructũ consequatur conuersionis,
Semina præmittat boni operis.
Recordare (ait) ò mulier!
Quod non prodest facienda dedicisse,
Et

Et non facere:
Nec conuersio sine pænitentia sufficit,
Nec pænitentia sine perseuerantia
valet:
Vt ergo scias, quomodo possis esse
bona,
Dolebis semper, quod fueris praua.

Prædicat varijs in locis, deinde reuertitur Viterbium, vbi diuersa circa eam contingunt.

CAP. XXVIII.

Virilis animus sudorem non timet:
Ideò Sancta noua semper subit onera,
Cùm solæ mutationes laboris
Ipsi sint induciæ quietis.
Ibi præsens, vbi necessaria,
Huc illuc discurrit,
Et frequenti fatigata itinere,
Solas tamen sitit animas.
Nullibi eius morâ sine vtilitate mira:
Sed cui non prodest eius prædicatio,
Si sola nequiores cumpungit
præsentia?
Quotidie aut prædicat in templis,
Aut docet in foris:
Vbi flectuntur duri, discẽtes stare lapsi,
Æstu-

Æstuant zelo retro gelidi desuetudine,
Quacumque frigescente passione,
Quæ efferbuerat in animis, noxia,
& corporibus.
Falsa voluptatis dulcedo
Amarescit resipiscentia:
Ecclesiæ mandata custodiunt,
Qui ecclesiasticas leges fregerant:
Et prauarum mentium
Corruptæ, quæ putruerant, cicatrices,
In decorem commutantur sanitatis.
Illi postea,
Qui sæpè loti, & semper turpes:
Taliter mundantur in lauacro
contritionis,
Vt nulla iam appareat labes
turpitudinis.
Post tot animarum lucra,
In quibus solum perdiderat
Vigilijs somnum, flagellis sanguinem,
Viterbium redit hoste, & hæresi
liberum,
Sed ferro, & peste prædatum.
Hic populares fugiens plausus,
Quia omnium se minimam credit,
Honores fugiendo
Apud omnes se maximam facit.
Sui non conscia humilitate meriti,
Tanti tamen est apud Innocentiū IV.
Quod

Quod anno M CC LII. & suæ ætatis
duodecimo,
Facultatem apostolicam concionandi
Ipsi amplissimam tribuit:
Et probis viris
In communi vrbis lætitia se vna
gemente:
Examen suæ sanctitatis committit.
His aucta tristatur honoribus,
Dum magis gauderet contumelijs:
Proinde statuit se seiungere à sæculo,
Claustra anhelans, & aras,
Vt perfectius iungi possit Crucifixo.
Monialibus Monasterij
Sanctæ Mariæ Rosarum Viterbij
Supplici prece detegit animi vota:
Sed licet præmissæ sint humilitatis,
Referunt conclusionem contemptus.
Impedimenta obijciunt,
Difficultates simulant,
Quæ nisi fingerentur, non essent:
Breui: illam nolunt.
Non mireris ò filia!
Dotum diues, dote tamen cares:
Vili dempto habitu, quid habes? nihil:
Si ergo es pauperrima,
Cur paupertatem tuam non recuset
auaritia?
Hæc auro flectitur, non virtute.
Tam

Tam mala habendi cupiditas,
Quæ libero vagatur per orbem gressu,
Quandoq;& in sacras penetrat domus:
Vnde etiam singulare meritũ vilescit,
Et quod peius est, nec cognoscitur,
Si cum argento non refulgeat.
Non turbatur repudio filia,
Sẽper parata bona facere,& mala pati:
Conuersa tamen ait ad Moniales,
A vobis respuor, quia pauperrima,
Quam tamen inter vos non vultis viuã,
Lætitia præsenti superiore repugnãtia
Excipietis extinctam.
Semper dulcissimis in oribus
Etiam in nouis amaritudinum casibus:
Anno Dominicæ Incarnationis
M. CC. LV.
Cum tertio procresceret lustro,
Semper prouectiori merito,
Regente Ecclesiã Alexandro Quarto:
Ab eiusdem Monasterij monialibus
Cogitur Oratorium deserere,
Vbi aperto athenæo perfectionis
Puellis iampridem collectis,
Non degit, vt alijs præsit,
Sed præest, ipsis vt prosit.
Istæ Alexandri IV. innixæ priuilegio
Prohibente monasteria erigi.
vel oratoria;

Nisi

Nisi ab illarum monasterio
Mille passuum spatio abessent:
Obtenta priuilegij confirmatione
Rigidè contra mitissimam agentes,
Ipsi vetant degere cum puellis
in oratorio,
Quam suo noluerant aggregare
consortio.
Assueta Rosa leuiter grauiora ferre,
Illustrior fit agitata ab obscuris:
Et à laudibus secedens, & hominibus,
In paterno tugurio
Familiari clauditur, velut in tumulo:
Vbi singulari culta solitudine virtute,
Quidquam commune non habet,
Aut mundus cũ ea, aut ipsa cũ mundo.

Clausa in suo tugurio post multas austeritates cursum vitæ conficit: eiusque corpus post decem, & octo menses transfertur ad Monasterium S. Mariæ Rosarum.

CAP. XXIX.

Extra frequentiam exijt,
Vt à sæculo diuisa amore virtutis,
Facilius vniretur Deo quiete
solitudinis.

In

In angusto sola tugurio,
Quia solitaria vita
Cælestis doctrinæ est schola,
Ac diuinarum artium disciplina:
Ibi cotemplationi vacans
Facile ad superna leuatur,
Nulla terrestri grauis cupiditate:
Et tanto magis
Arcanis supernis appropinquat mēte,
Quanto censet se longius esse
humilitate.
Tota huius tugurij supellex
Sunt teneris membris
Dura ligna, vel aspera humus:
Cruenta flagella
Semper parata exhaurire sanguinem:
Exanguis Crucifixus,
Cuius passioni compatiens
Tot acerbos dolores sentit,
Quos ille sæuos cruciatus pertulit:
Pauperis filiæ hæ sunt diuitiæ.
Hic mente in Cælum eleuata,
Quasi extra mundum posita,
Frequenter cadente sole, & redeunte
die
Stat immota ante conspectum Dei
Vsque ad obliuionem sui:
Quia cum vigilijs dū ieiunia copulat.
Sibi subuenire negligit.

Tran-

Transfigit etiam ieiuna hebdomadas,
Corpus affligens inedia,
Cuius membra lacerat ferro:
Et quando necessitate flexa, non desiderio,
Lapsas cogitur reficere vires,
Vili esca non depellit famem,
Sicut modica aqua non extinguit sitim:
Immo toties
Arida labia humectat lachrymis,
Et sæpe vacua viscera implet amaritudine.
Alia non sunt huius virginis exercicia,
Nisi assiduè orare, & dura pati:
Nouos enim austeritatis modos
Inuenit, non contenta inuentis,
Et posteriora sunt asperiora prioribus.
Ieiunijs squallida, & flagellis,
Raris tamen formosissima dotibus,
Sciens regnum cælorum vim pati,
Et si benigna indole, violenta manu,
Languida inedijs, sed non satura tormentis,
Non desinit torquere membra,
Vnde minima pænarum, quas patitur,
Ei maxima foret, qui mereretur,
Ab angustia loci,
Vbi ipsam sibi negat clementiam aeris,
Lar-

Largi absorbentur riui cruoris,
Et tellus sæpè ipsa rigente tepet.
In tali tugurio,
Velut in carcere, nisi in tumulo,
Aspero deuincta cilicio,
Liberiori mente voluit immensa;
Magna labente temporis parte,
Et adhuc ipsa supra ęternitatē sic fixa,
Quod penitus immobilis,
Ruente tamen imbecillitate natura:
Non fluit hora ipsa non stante,
Vel circa animæ lucra,
Vel circa iacturas corporis:
Tanto enim magis erigitur,
Quanto plus hoc prosternitur.
Adhuc feruida horrescente frigore,
Sed frigida (quia exanguis) sub æstiuo sole,
Corporis sarcinam abstinentijs leuem,
Sic sustinet, quasi non ferat:
Et nullius rei præter Deum conscia,
Ipsius solius voces audit,
Et neque si mundus sit, ipsa meminit.
Sine forma, quia in sua austeritate firma,
Humano propè carens aspectu,
Semper sicut moritura viuit,
Et sæpè pene mortua iacet.
Populata à ieiunio facie
 Are-

Arescentium oculorum se retrahunt
lumina,
Non tam horrore mortis,
Quam quia totum corpus
Non est, nisi obiectum fletus.
Quæ supersunt in hac figura mortis,
Ossa sunt, & pellis:
Immò hac lacera vix ea teguntur:
Carnis postea nulla fit mentio,
Istam enim vorarunt abstinentiæ,
& flagella.
Attamen hæc Heroina
Cadente corpore fortior spiritu,
Macilentiam, qua fit deformis, amat,
Et imbecillitatem,
Qua austera magis esse non potest,
deflet:
Tanto squallore terribilis abysso,
Quanta venustate gratior cælo.
Redacto corpore in naturam animi,
Angelicæ est idea naturæ:
Et Angelo si qua parte dissimilis,
Fælicitate ab eo differt, non virtute.
Tandē cui nasci contigit, mori restat,
Tremula pede, non animo,
Et meritorum confecta senio,
Ad quatuor nondum lustra prouecta,
Eucharistico refecta cibo,
Mortalitatem, quam induerat, exuit
Die

Die sexta Martij Anno Domini
M CC LVIII.
Ætatis verò suæ circiter XVIII.
Præter tanti beneficij iacturam
Eius nihil deflendum in morte,
Cuius omnia laudanda in vita:
Occidente tamen tanta sanctitatis luce
Stetit communis in cordibus dolor,
Et genas, quas exsiccauerat viua,
Humectauit mortua.
Decepta mors,
Hanc Rosam adhuc teneră decerpsit,
Quia cùm tantam
Perfectionis suauitatem redoleret,
Maturam credidit.
Vili defossa humo
Secretò sepellitur pretiosum corpus,
Ne communi periclitetur deuotione:
Et octauo elapso supra decimũ mense
Ter ab ea in somnis admonitus
Alexander IV. Viterbij degens,
Exhumatum, & nulla tabida lue exesũ,
Quia sicut hesterna die sepultum,
Triumphi more, non funeris,
Solemni pompa, & comitante vrbe,
Ad Monasterium transfert
Sanctæ Mariæ Rosarum,
Prodigijs magis illustratum, quam
luminibus.

Nunc Moniales prophetiæ memores
Thesaurum custodiendum excipiunt,
Quem neglexerant:
Vnde miscentes dolore gaudium,
Corrigunt humilitate contemptum:
Et quantum ipsas pæniteat erroris,
Testis est fletus amaritudinis.

Mortua innumeris illustratur prodigijs.


CAP. XXX.

Cuius vita perijt, gloria non moritur:
Erepta tempori viuit æternitati,
Mundo illustris, & Cælo,
Tamque culta aris, quam celebrata
oris.
Ex vnius sanctitatis fundamento
Gemini prodeunt splendores:
Nam in cælo
Anima est redimita astris,
Et in terra
Corpus non desinit nitere prodigijs.
Pretiositas huius thesauri
Conijci potest ex vigilantia luminum,
Magis tamen ex singularitate
meritorum:
Quæ rerum mutato ordine,
Ob magnitudinem stupens silet fama,
Et

Et ob eminentiam disertè eloquitur
stupor:
Hæc omni digna obsequio,
Sola admiratione metiri possunt,
Prodigia vero numero carent.
Inter Angelorum locata fælicitates
Semper infælicium præsens ærumnis,
Rogantium non despicit vota,
Quæ etiam viuens
Se fælicem non reputabat,
Nisi causas miseriarum sopiret.
Æquè admirabilis dando lucem cæcis,
Ac reddendo lumen mentibus,
Et pari promptitudine,
Licet dissimili plausu,
Flebiliter ærotantium spes vltimas
Ad prima reuocat officia:
Ita corporibus elargiens sanitatem,
Vt etiã ab animis auferat ægritudines.
A priuatione ad habitum
Dispensato regressu,
Tam arbitra naturæ,
Quam non supiecta tempori,
Nouas, vel cum infælicibus ortas
Vnico instanti plures abigit
calamitates:
Et eius præconia
Ideò fiunt omni expectatione maiora,
Quia ea etiam surdi audiunt,

Et celebrare muti non desinunt.
In omni pariter elemento
Suæ habet testimonium sanctitatis,
Quia ex vnoquoque eorum
Desumpsit occasionem rigoris.
Vt eius sepulturæ locus
Alexandro IV. pateat,
Vbi corpus quiescit, ibi rosa ab humo
prodit,
Quæ intempestiua suauitate,
Magis est opportuna prodigio.
Curua rate diuersi infida freta
rumpunt,
Et dum aquarum voluuntur montes,
Magis à littore, quam à morte distant,
Ita ex oculis Cælo, dieque crepto à
nubibus,
Vt illis nil supersit post metum,
Nisi liquidam absorbere mortem:
Sed quibus ipsa fauet, aqua non nocet.
Quasi sua exutus leuitate aer
Grauia facile sustinet,
Dũ ea homines extra pericula defert,
Et delatos intra stuporem relinquit.
Furentia sæpe incendia
Eius solo inuocato nomine,
Actu diuinitus spoliata fecundo,
Aut stupida quasi frigescunt ardoribus,
Aut debacantia erubescunt flammis;
Et

Et cito pallescunt cineribus,
Quae erant nata ruinis:
Sic sancta multos extinguens ignes,
Plures accendit animos.
Huic sanctitati parere
Surdae coguntur mortes,
Sua enim franguntur iura tumulis:
Etiam stupente natura,
Tam facile ad corpora redire animas,
Quam promptè
A corporibus prauos exire spiritus.
In eius nobili sacello
Maiorem conflant suppellectilem
Prodigia, & gratiae:
Ibi pretiosa fiunt auro deuincta
pericula,
In teneris, & cereis figuris
Flexi pallent mille duri casus:
Varia in tabellis infortunia,
Vel ob reuerentiam laedere timent;
Vel etiã adueniẽdo nocere nõ possunt.
Quot votis diues, tot linguis celebris
Hanc gloriam consequitur,
Quod paria sint miracula meritis,
Haec sine mensura, illa sine numero.
Restat amice lector,
Vt huius Sacrae Heroinae,
Si virtutes assequi nescis,
Vitam saltem admireris.



INDEX CAPITUM,

Quæ in hoc Opusculo continentur.

Soli-



INDEX
Rerum notabilium.

A

Elemen-

E

F

G

H

I

Labo-

Arescentium oculorum se retrahunt
lumina,
Non tam horrore mortis,
Quam quia totum corpus
Non est, nisi obiectum fletus.
Quæ supersunt in hac figura mortis,
Ossa sunt, & pellis:
Immò hac lacera vix ea teguntur:
Carnis postea nulla fit mentio,
Istam enim vorarunt abstinentiæ,
& flagella.
Attamen hæc Heroina
Cadente corpore fortior spiritu,
Macilentiam, qua fit deformis, amat,
Et imbecillitatem,
Qua austera magis esse non potest,
deflet:
Tanto squallore terribilis abysso,
Quanta venustate gratior cælo.
Redacto corpore in naturam animi,
Angelicæ est idea naturæ:
Et Angelo si qua parte dissimilis,
Fælicitate ab eo differt, non virtute.
Tandē cui nasci contigit, mori restat,
Tremula pede, non animo,
Et meritorum confecta senio,
Ad quatuor nondum lustra prouecta,
Eucharistico refecta cibo,
Mortalitatem, quam induerat, exuit
Die

Die sexta Martij Anno Domini
M CC LVIII.
Ætatis verò suæ circiter XVIII.
Præter tanti beneficij iacturam
Eius nihil deflendum in morte,
Cuius omnia laudanda in vita:
Occidente tamen tanta sanctitatis luce
Stetit communis in cordibus dolor,
Et genas, quas exsiccauerat viua,
Humectauit mortua.
Decepta mors,
Hanc Rosam adhuc tenerã decerpsit,
Quia cùm tantam
Perfectionis suauitatem redoleret,
Maturam credidit.
Vili defossa humo
Secretò sepellitur pretiosum corpus,
Ne communi periclitetur deuotione:
Et octauo elapso supra decimũ mense
Ter ab ea in somnis admonitus
Alexander IV. Viterbij degens,
Exhumatum, & nulla tabida lue exesũ,
Quia sicut hesterna die sepultum,
Triumphi more, non funeris,
Solemni pompa, & comitante vrbe,
Ad Monasterium transfert
Sanctæ Mariæ Rosarum,
Prodigijs magis illustratum, quam
luminibus.

Nunc Moniales prophetiæ memores
Thesaurum custodiendum excipiunt,
Quem neglexerant:
Vnde miscentes dolore gaudium,
Corrigunt humilitate contemptum:
Et quantum ipsas pæniteat erroris,
Testis est fletus amaritudinis.

Mortua innumeris illustratur prodigijs.

CAP. XXX.

Cuius vita perijt, gloria non moritur:
Erepta tempori viuit æternitati,
Mundo illustris, & Cælo,
Tamque culta aris, quam celebrata
oris.
Ex vnius sanctitatis fundamento
Gemini prodeunt splendores:
Nam in cælo
Anima est redimita astris,
Et in terra
Corpus non desinit nitere prodigijs.
Pretiositas huius thesauri
Conijci potest ex vigilantia luminum,
Magis tamen ex singularitate
meritorum:
Quæ rerum mutato ordine,
Ob magnitudinem stupens silet fama,


Et

Et ob eminentiam disertè eloquitur
stupor:
Hæc omni digna obsequio,
Sola admiratione metiri possunt;
Prodigia vero numero carent.
Inter Angelorum locata fælicitates
Semper infælicium præsens ærumnis,
Rogantium non despicit vota,
Quæ etiam viuens
Se fœlicem non reputabat,
Nisi causas miseriarum sopiret.
Æquè admirabilis dando lucem cæcis,
Ac reddendo lumen mentibus,
Et pari promptitudine,
Licet dissimili plausu,
Flebiliter ærotantium spes vltimas
Ad prima reuocat officia:
Ita corporibus elargiens sanitatem,
Vt etiã ab animis auferat ægritudines.
A priuatione ad habitum
Dispensato regressu,
Tam arbitra naturæ,
Quam non supiecta tempori,
Nouas, vel cum infælicibus ortas
Vnico instanti plures abigit
calamitates:
Et eius præconia
Ideò fiunt omni expectatione maiora,
Quia ea etiam surdi audiunt,

Et celebrare muti non desinunt.
In omni pariter elemento
Suæ habet testimonium sanctitatis,
Quia ex vnoquoque eorum
Desumpsit occasionem rigoris.
Vt eius sepulturæ locus
Alexandro IV. pateat,
Vbi corpus quiescit, ibi rosa ab humo prodit,
Quæ intempestiua suauitate,
Magis est opportuna prodigio.
Curua rate diuersi infida freta rumpunt,
Et dum aquarum voluuntur montes,
Magis à littore, quam à morte distant,
Ita ex oculis Cælo, dieque crepto à nubibus,
Vt illis nil supersit post metum,
Nisi liquidam absorbere mortem:
Sed quibus ipsa fauet, aqua non nocet.
Quasi sua exutus leuitate aer
Grauia facile sustinet,
Dũ ea homines extra pericula defert,
Et delatos intra stuporem relinquit.
Furentia sæpe incendia
Eius solo inuocato nomine,
Actu diuinitus spoliata secundo,
Aut stupida quasi frigescunt ardoribus,
Aut debacantia erubescunt flammis;

Et

Et cito pallescunt cineribus,
Quæ erant nata ruinis:
Sic sancta multos extinguens ignes,
Plures accendit animos.
Huic sanctitati parere
Surdæ coguntur mortes,
Sua enim franguntur iura tumulis:
Etiam stupente natura,
Tam facile ad corpora redire animas,
Quam promptè
A corporibus prauos exire spiritus.
In eius nobili sacello
Maiorem conflant suppellectilem
Prodigia, & gratiæ:
Ibi pretiosa fiunt auro deuincta
pericula,
In teneris, & cereis figuris
Flexi pallent mille duri casus:
Varia in tabellis infortunia,
Vel ob reuerentiam lædere timent,
Vel etiã aduenièdo nocere nõ possunt.
Quot votis diues, tot linguis celebris
Hanc gloriam consequitur,
Quod paria sint miracula meritis,
Hæc sine mensura, illa sine numero.
Restat amice lector,
Vt huius Sacræ Heroinæ,
Si virtutes assequi nescis,
Vitam saltem admireris.



INDEX CAPITVM,

Quæ in hoc Opuſculo continentur.

Soli-

 morti.



INDEX

Rerum notabilium.

A

Elemen-

Hære-

H

I

Labo-

L

M

Nabali

N

O

P

So-

A01 1471285

IMPRIMATVR.

Fr. Michael Pius Torres Sac. Theol. Magister, & Commissarius S. Officij Mediolani.

Iacobus Saita Sac. Theol. Doct. Can. S. Ambrosij pro Rev. Capitulo Sede Vacante.

Arbona pro Excell. Senatu.